

Historica relatio duodecim martyrum Cartusianorum qui Ruremunde in ducatu Geldriae agonem suum feliciter compleverunt

A. Havens

bron

Arnoldus Havensius, *Historica relatio duodecim martyrum Cartusianorum qui Ruremunde in ducatu Geldriae agonem suum feliciter compleverunt*. Z.n., z.p. [Brussel] 1753 (herdruk)

Zie voor verantwoording: http://www.dbnl.org/tekst/have023hist02_01/colofon.php

© 2017 dbnl

Sapientiae 3.

Justorum animae in manu DEI sunt, & non tanget illos tormentum mortis; visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis benè disponentur: quoniam DEUS tentavit eos, & invenit eos dignos se.



REverendo admodum
ac Venerando in Christo Patri
FR. ANTONIO DE BACKER,
Bruxellensi,
Ordinis FF. Carthusianorum,
Domûs nostrae Dominae de Gratiâ,
ex Agro Anderlechtensi Bruxellas translatae,
Religioso-Professo, & quondam Procuratori,
exinde Priori Domûs S. Martini
ad Sylvam, juxta Gerardimontes,
nunc verò
praedictae Domûs Bruxellensis
Priori ac Moderatori Vigilantissimo,
nec non
Provinciae Teutonicae Visitatori
observantissimo,

Omniumque Priorum totius Provinciae
Seniori;
novam hanc Editionem
Historicae Relationis Martyrii
XII. Carthusianorum Ruraemundensium,
Auctore Vener. P. ARNOLDO HAVENSIO,
intimo venerationis affectu
Dedicat consecratque Typographus P.F.
In suae erga Sanctum Carthusianum Ordinem
perennis observantiae Tesseram;
cujus decorem Carthusiani Martyres olim
effuso pro Christo Sanguine provexerunt;
eorumque res gestas Auctor Eximius,
R. Adm. P. Arnoldus Havensius,
stylo incomparabili consignavit.
Ne supra-scripti Agonis Memoria
propter prioris Editionis raritatem;
penitus obliteraretur.

**Compendium vitae venerandi P. Arnoldi Havensii carthusiani,
Ex Bibliothecâ Belgicâ editionis novissimae, itemque Coloniensi
Bibliothecâ P. Hartzhemii S.J. desumptum.**

ARNOLDUS HAVENSIUS Sylvaeducis honoratâ nobilique familiâ, vulgo dictâ *Havens*, nascitur anno 1540 Primis litterarum rudimentis patrio in solo apud Fratres Hieronymitas, dictos Collationarios à vitâ communi, imbutus fuit; quorum Ludus Litterarius praesertim Sylvaeducis florebat mirificè. Adolescentior Societatis Institutum Coloniae amplectitur anno 1559; in quam urbem jam à biennio, destinatus à patre fuerat, ut esset Dialecticae in novâ Bursâ, quam Trium Coronarum vocant, candidatus. Anno 1560. Syntaxin docebat, & anno proximo Artium Magister renuntiatur. Anno 1564. Coloniae quidem Baccalaureus Formatus ex Theologici Senatûs decreto, Philosophiam Aristotelicam in Gymnasio Tricoronato praelegebat, ubi & inter ceteros discipulo gloriatus est *Justo Lipsio* Iscano, sui dein seculi ornamento. Post haec in Academia Electorali Trevirensi (errant qui dicunt in Coloniensi) Sacri Magisterii Theologici insignia induit Anno 1572; unde reversus ad Ubios, simul Praelectiones Theologicas habuit, & Praefectus juventuti moderandae sub P. Joanne Rhetio Regente; quo A. 1574. è vivis sublato, Regentis & simul Professoris officium usque ad annum 1581. produxit P. Havensius: hoc enim anno Romam ad eligendum Praepositum Generalem Reverend. P. *Claudium Aquavivam* abiit. Redux datus fuit Rector Collegio Coloniensi.

Vixit in Societate annos praeter-propter sex & viginti; atque exinde Vitae solitariae dulcedine, & Exercitiorum spiritualium amore captus, sub annum 1585. aetatis suae 46. spontaneè relicto Societatis Instituto, legitimisque suorum Superiorum Litteris dimissoriis munitus, Coloniâ transiit ad Domum S. Mariae Magdalenae, seu Carthusiam Lovaniensem, in quâ A. 1586. professus

est S. Brunonis Institutum. Solitudinem ubique & latibulum sibi quaerebat in Magdalenae sinu, prae activâ & Apostolicâ Vitâ Sociorum S. Ignatii. Lovanii degens, arctam iniit amicitiam cum PP. Carthusianis Anglis è patriâ per Elisabetham Reginam ejectis, ac tunc in Domo Lovaniensi exulantibus, potissimum autem cum V.P. *Mauritio Chancaeo* eorum Priore, cujus libellum de Martyrio XVIII. Carthusianorum jussu Henrici VIII. Regis in Angliâ ante annos aliquot interfectorum, recensuit, ac stylo meliore donatum novis typis subjecit.

Interea, qui curam omnem à propriae salutis negotio distinctam à se removère studuerat, majores longè curas humeris suis per Carthusiani Ordinis Superiores, mox à professione impositas, portare coactus fuit: neque enim decebat Lucernam istam abscondi, aut recondi sub modio. Prior imponitur primùm Carthusiæ Sylvaeducensi seu S. Sophiae anno 1590, subinde Leodiensi 1594, item 1598, Lovaniensi 1597, & Bruxellensi 1599. Demum Provinciae universae visitandae admovetur eodem anno 1599, atque anno 1600 ad Generale Capitulum in Majore Carthusiâ celebrandum progreditur. Verùm hisce laboriosis Officiis quietem praeferens, postulavit & impetravit alium sibi subrogari. Sabbatismum in Domo Bethleem sive Ruraemundanâ adeptus, ad scribendum se accinxit, hortatu praesertim Reverendissimi D. Henrici Cuyckii secundi Ruraemundensium Episcopi. Cum ecce jubetur denuò Gandavensem, seu Vallis Regiae Carthusiam, uti & Provinciam totam quâ Visitor gubernare. Hîc septuagenario major piè obiit anno 1610, die 14. Augusti, Vigiliâ Assumptionis Deiparæ.

Magnum ei semper fuit cum celeberrimis Belgii Episcopis litterarum negotiorumque commercium; puta cum Guil. Lindano, & Henrico Cuyckio Ruraemundensibus, Gisberto Masio Sylvaeducensi, Gisberto Coeverincx Davenportensi nominato, & Sasboldo Vosmero Archiepiscopo Philippensi & Apostolico per Foederatum Belgium Vicario: quorum plures hodie extant ad Havensium Epistolae. Inter Socios Jesu quos vixit annos amplè 26. ex iis 20. inter pulveres Scholasticos indefessus & acerrimus Magister, Praefectus, Concionator, Doctor, mirâ facultate, dexteritate, & facilitate ad artes & scientias omnes explicandas & tractandas, magno & optatissimo emolumento Christianae publicae rei, &

Coloniensis Universitatis, & Gymnasii Tricoronati in vico S. Maximiniano tunc aperti; in quo Indies binas aut ternas lectiones sacras ac profanarum Scientiarum obibat.

Postmodum inter Cartusianos degens, quorundam Monasteriorum Archivia ac Documenta excussit, in meliorem ordinem redegit, imo & ab interitu vindicavit; praesertim Sylvaeducis, Ruraemundae atque Gandavi, posteaquam hae tres Carthusiae ante annos aliquot haereticorum furore pessumdatae, spoliatae, atque exustae fuissent. Ruraemundae autem preciosum Thesaurum Operum ineditorum Venerabilis P. Dionysii à Ryckel Carthusiani, Doctoris Extatici (ab anno 1471. in istâ Professionis suae Domo piè defuncti) recollegit, Chartas plures cum blattis & tineis luctantes denuo exscribi curavit, earumque plura Volumina Manuscripta in Bibliothecam domesticam intulit: ubi in hodiernum usque diem (praelo digna) religiosè conservantur.

Simili modo, tum ex ipsis Archiviis, tum plurium fide dignorum tunc etiamnum viventium testimonio assertionibus collegit Acta Martyrii XII. Carthusianorum Ruraemundensium, quos furor Auriaci militis Anno 1572. postridie S. Mariae Magdalенаe, in ipso hoc Monasterio pro Fide orthodoxâ, & in derisionem Status Monastici interemit. Haec postmodum, hortante Reverendissimo Episcopo Henr. Cuyckio in lucem dedit; cujus tanta erat erga Havensium propensio, ut singulis ferè hebdomadibus ad Cellam ejus, sacrorum colloquiorum causâ, diverteret. Eidem Antistiti instigator fuit, ut Anno 1608. die 12. Martii sacra Ossa Venerabilis P. Dionysii Cartusiani in templo Ruraemundano olim sepulta, de terrâ levaverit: quae sibi mutuo majorem partem inventa sunt cohaerentia, ipsumque cranium spirans odorem gratissimum &c. Porro scripta editaque fuerunt à Venerando P. Arnaldo Havensio, ea quae sequuntur.

1. *Oratio Quodlibetica de Fidei Dogmatibus*, edita post Havensii mortem a Theodoro Petreio Carthusiano: videlicet, Utrum tanta sit Ecclesiae Autoritas, ut in Fidei Dogmatibus ea in Scripturarum sensu atque sententiâ certam fidem habeat? Coloniae 1620. in 8.
2. *Commentarius de Ereptione novorum in Belgio Episcopatum*, deque iis rebus, quae ad nostram hanc aetatem in eo praeclarè gestae

sunt. Liber hodie rarus, plurimumque laudatus; qui praeter primorum novorum Episcoporum seriem, Vitas duorum Ruraemundensium Antistitum Guil. Lindani, & Henr. Cuyckii prolixius prosequitur: in 4. Coloniae, sumptibus Jo. Kinckii 1608. pp. 312. Cum autem Episc. Cuyckius Epistolam dedicatorem prae humilitate deprecatus fuisset, eam inscripsit Havensius Rev. Petro Damantio Gandensium Episcopo, non minus benigno Carthusianae Familiae Patrono.

3. *Historica Relatio XII. Martyrum Carthusianorum qui Ruraemundae in Ducatu Gelriae 1572. agonem compleverunt.* Libellus aureus, iteratis typis Anno 1753. Bruxellae cum pauculis additionibus recusus.
4. Accessit ejusdem Havensii *Exhortatio ad Carthusianos, de observantiâ Regularis Disciplinae, Vitaeque solitariae Commendatione, ad Carthusianos.* Gandavi in 8. pp. 77.
5. *Speculum Haereticæ Crudelitatis, sive de crudelitate moribusque priscorum ac recentium Haeticorum.* Coloniae typis Servatii Erffens. 1608. in 8. pp. 245.
6. *Martyrium XVIII. Carthusianorum in Angliâ, sub Rege Henrico VIII.* Opus quidem est Vener. P. Mauriti Chancaei Carthusiani Angli: sed a P. Havensio recognitum ac meliore stylo donatum, typisque iteratis recusum; ideoque inter ejus quoque Elucubrationes non immerito recensetur.

Alia adhuc inedita servantur in Carthusiâ Coloniensi: quorum etiam mentionem fecit Havensius in Epistolâ Dedicatoriâ Commentarii sui de Ereptione novorum Episcopatum.

Evangeliorum Dominicorum Enarrationes uberiores: quas in Ubiis degens ex praestantissimis quibusque tum veterum tum recentiorum Patrum Monumentis, publicae utilitati profuturas collegerat.

Diversae in Magistrum Sententiarum Praelectiones; quas discipulis suis calamo apud Ubios dictaverat.

In Catalogo librorum Kalcovii 1643. Coloniae reperitur: *Havensii Carthusiani Innocentia & constantia Victrix*, in 8 Insuper Valer. Andreas meminit alterius libri inediti, de *Vitae solitariae praestantiâ & utilitate*; sed manum ultimam illi apponere, Auctori non vacavit.



**Admodum reverendo in Christo patri ac domino D. Brunoni,
Priori Carthusiae Majoris, ac totius Ordinis Ministro, Generali, ac
moderatori vigilantissimo, Patrique observandissimo.**

REVERENDE admodum Pater. Cùm venissem ad Carthusiam Ruraemundensem, reversus ex Capitulo generali quod anno 1601. celebratum est: (nam ut Ruraemundam proficiscerer, V.P. Visitor Provinciae Rheni, ad quem à R.P.V. missus fueram, injunxerat) is qui Ruraemundensi Ecclesiae praesidet, secundus istius urbis Episcopus Rev. D. Henricus Cuyckius vir praeclarae virtutis & insignis doctrinae, quo inter Episcopos hujus Belgii vix praestantior est, & tam concionibus publicis, quàm variis doctissimis scriptis edendis, Ecclesiae illustrandae utilior, vehementer ursit me, ut Historiam caedis, aut ut verius dicam, Martyrii Patrum ac Fratrum

nostrorum Carthusiae Ruraemundensis conscriberem. Valde enim dolebat optimus Episcopus, quod tam celebris res gesta, necdum ad posteritatis memoriam litteris consignata esset: sibi que persuadebat, quod sicuti anno 1535. & 1537. nostri Carthusiani Martyrio suo Angliam Ordinemque nostrum illustrarunt; ita & hoc Ruraemundensium Cartusianorum Martyrium, & Ecclesiae suae Ruraemundensi, & Ordini nostro magno foret ornamento, si typis mandaretur. Itaque ut optimi Antistitis voluntati facerem satis, impulit me ipsius tam singularis erga Ecclesiae suae Martyres Carthusianos pietas & devotio, atque in totum Ordinem nostrum admirabilis benevolentia. Est enim nostri amantissimus & studiosissimus. Huc accessit Rev. Episcopi Buscoducensis D. Gisberti Masii auctoritas, & propensa in nos voluntas; qui postquam ad Domum Sophiae postea accessissem (ubi putabam me in quiete desiderata, quod reliquum est vitae transacturum) ut pro sua humanitate me invisere, atque familiariter mecum colloqui solet, ita quoque ad hoc persiciendum Opusculum cohortatus est. Uterque autem me conabatur incitare, exemplo illius, qui eo tempore ediderat Historiam Martyrii Gorcomiensium Franciscanorum. Is verò erat M.N. Eximius Professor Theologiae in Academia Duacensi D. Guilhelmus Estius Heßelius, ut quod hic patriâ Gorcomiensis suis Martyribus Gorcomiensibus praestitit, idem ego Cartusianus meis praestarem Cartusianis. Judicabant enim optimi Praesules ètenebris eruenda esse, & in lucem ac in publicum proferenda, quae ad confirmandam Fidem & ad consolationem atque instructio-


nem Catholicorum aliquid conferre possunt. Putabantque & quidem verè ac rectè, ipsorum esse muneris & officii, hoc ipsum procurare; exemplo edocti veterum Sanctissimorum Pontificum Romanorum & Epsicoporum, ut B. Clementis, Anteri & Fabiani, qui in Ecclesia Romana, & divi Cypriani, qui in Carthaginensi Ecclesia, praeter alios; ut Martyrum res gestae undequaque collectae & diligenter pervestigatae, in scripta exactius referrentur, studiosè curarunt. Sic enim legitur de Clemente Romano Pontifice in libro de Pontificibus Romanis, qui nomine Damasi citari solet. Hic fecit septem.⁺ regiones dividi Notariis fidelibus Ecclesiae, qui gesta Martyrum sollicitè & curiosè unusquisque per regionem suam perquirerent. Et de ^{+B. Clemens.} B. Antero Papa⁺ in hunc modum scribitur. Hic gesta Martyrum diligenter à Notariis exquisivit, & in Ecclesia recondidit. Similiter & in eodem libro de B. Fabiano ^{+B. Anterus.} haec leguntur. Hic regiones divisit Diaconibus, & fecit septem⁺ Subdiaconos, qui septem Notariis imminerent, qui gesta Martyrum in integrum colligerent. Nam ^{+B. Fabianus} hoc Notariis ex officio incumberebat, ut Acta Martyrum purè & sincerè conscriberent. Quibus praeerant Diaconi & Subdiaconi, quorum munus erat cuncta exacta indagare; & quae à Notariis scripta erant, ad Pontificem referre: qui ea demum qualia essent probaret, atque inter Ecclesiastica monumenta reconderet. B. Cyprianus verò quam sollicitus fuerit,⁺ ut in Cartaginensi Ecclesia, dies quibus Martyres essent coronati, exactè annotarentur, constat ex ejus Epist. 37. Edit. Pamel. quam dedit ad ejusdem ^{+Cypr. Epist. 37.} Ecclesiae Presbyteros & Diaconos. Quod

etiam ante tempora Cypriani à Majoribus fieri consuevisse, Pontius testatur Diaconus, in vita seu actis ipsius. Quae cum ita sint, tantò facilius passus sum me induci, & acquievi voluntati ac petitioni eorum, quos dixi, ut Historiam Martyrum Ruraemundensium conscriberem. Quamvis id pari felicitate & gratia vel doctrina & eloquentia, cum Eximio D. Estio ut facerem, non admisit ingenii tenuitas & dicendi inopia. Neque parum me permovit ad hoc praestandum, memoria etiam istius Domus Ruraemundensis, quae mater est Cartusiae Buscoducensis, cui in patrio solo constitutae, quinque annis indignus praefui. Haec enim ex illa prodiit: & quam utramque praestantissimus ille noster D. DIONYSIVS RICKELIVS, ornamentum nimirum Ordinis Cartusiensis (nam illius Domus professor, hujus autem primus Rector fuit) celebrem reddidit & vitae sanctitate & tot tamque praeclaris libris in lucem editis, quorum exemplaria omnia manûs propriae caractere descripta, honoris ergo, in perpetuam rei memoriam in Bibliotheca nostra Ruraemundensi aßervantur. Tum verò mea etiam me incitavit & accendit devotio: cum enim in loco isto talia conspicerem crudelissimae caedis relictæ vestigia, atque eximia patientiae Patrum nostrorum exempla, non potui me reprimere, quin arrepto calamo ad gloriam Dei & Ordinis nostri honorem, id lubens praestarem, quod à me jure quodam, qui Cartusianus essem, postulari videbatur. Praesertim quod Deus nobis haec sancta ocia fecisset, ut vestrâ gratiâ & benevolentîâ, hoc beneficium consecutus eßem, ut liberatus ab omnibus curis

& distractionibus externis, quiete fruere, & solitudini rebusque spiritualibus ac sacris studiis meis, hactenus propter rerum temporalium occupationes, quibus Priores ut plurimum distrahuntur, intermissis, liberius possem vacare. Quo nomine mihi gratulabar, laetabarque in Domino. Plus enim beneficii mihi praestitit R.P.V. quod me tam gravi sarcinâ, praesertim Visitoris Provinciae exonerasset (sit honor iste penes alios) quàm R.P.D. Joannes Michaël praedecessor vester sanctae memoriae, vir totus spiritualis ac divinus, dum Visitoris onus humeris meis imponere, & toto illo tempore quo ipse Ordini praefuit, me subire voluit. Et quidem contentus eram hoc exiguo labore meo, quod eam Historiolam, ut ab aliis acceperam, scripto complexus essem: quam eleganti caractere ab aliquo descriptam, ad Reverendam Paternitatem Vestram potuissem curare mittendam. Sed Reverendissimus Episcopus Ruraemundensis eam quodammodo jure sibi vendicans, voluit ut in lucem prodiret, judicans id ad majorem gloriam Dei, suaeque Ecclesiae decorem & ornamentum, atque Ordinis Cartusienensis honorem, multorumque consolationem & aedificationem facere. Ad quam rem quoque consensus & approbatio R.P.V. accessit, sicut patet ex litteris ad me datis 12. Junii anni 1602. quibus me etiam hortatur, ut hoc opus perficerem, quando nimirum nactus quietem in Domo Sophiae, Vicarii munereungebar. Caeterum propter argumenti affinitatem, recognovi etiam Historiam Martyrii Anglorum Cartusianorum, antea quidem editam; sed quam recudendam putavi, mutato limato-

que aliquantulum stilo. Praesertim quod ejus vise exemplaria amplius apud bibliopolas extarent. Porrò huic inserui Exhortationem quandam brevem, in qua agitur de praestantia & observantia Vitae solitariae; in qua Ordinis nostri Cartusiensis professio, ejusque atque totius Monasticae disciplinae perfectio consistit, erga quam quò quis afficitur magis, eò sanctor perfectiorque in omni virtutum genere evadit. Quod copiosius alio Tractatu separatim edendo, favente Dei gratia, vestraque Paternitate Reverendâ annuente, docere statui per varia exempla, tam Patrum Ordinis nostri, (qui ita equidem dediti fuère solitudini, ut ab officiis gerendis abhorrent, maluerintque in Cella privatam & solitariam vitam ducere) quam aliorum plurimorum praestantissimorum, & vitae sanctitate clarissimorum virorum. Interea hunc foetum nostrum, & qualemcunque fructum quietis meae offero R.P- V. ut dem aliquam grati animi significationem pro vestro propensae in me voluntatis studio. Christus-Jesus R.P.V. diu servet incolumem, ad Ecclesiae Ordinisque nostri utilitatem. Ex Cartusia Gandensi die 29. Febr. Anno 1608.

Reverendae P.V. indignus Servus & Filius in Christo, F. ARNOLDUS HAVENSIUS.



Approbatio

Reverendi Domini Gisberti Coeverinx, Ecclesiae Cathedralis Buscoducensis Decani, & designati Episcopi Daventriensis.

BREVEM hanc historiam gloriosorum Christi Martyrum **CARTUSIANORUM**, qui Ruraemundae anno 1572, & antea in Anglia annis 1535 & 1537. sanguinem suum pro Christo effuderunt, industriâ & acri iudicio Reverendi Patris D. **ARNOLDI HAVENSII** S. Theologiae Doctoris eruditissimi, Cartusiani Conventûs S. Sophiae Buscoducensis, conscriptam, dignam censeo quae proelo commissa plurimorum manibus teratur.

Ita attestor ego Gisbertus Coeverinx, Presbyter, Ecclesiae Buscoducensis Decanus indignus, & designatus Episcopus Daventriensis. Actum anno Domini 1604. 20. Maii.

Ex Litteris Reverendi Patris D. Brvnonis, (cognomento d' Afsringues Belgae Audomaropolitani) Prioris Majoris Cartusiae, & totius Ordinis Generalis, anno 1604. 19. Sept. datis.

VEnerabili in Christo Patri D. Arnoldo, Priori Cartusiae Gandensis. De Opusculis, quae in vestro illo optato sabbatismo scripsistis, iterum hortamur ad publicam eorum editionem; & plenam vobis ea in publicum edendi licentiam concedimus, certi, ea fore toti Ecclesiae utilissima, & maximo toti Ordini ornamento. Quod si opus sit expressiori facultate, eam vestro Marte excudite, ut libellis imprimendis praefigatur. Laudamus multum hanc egregiam verstram

de ornando Ordine, & de Ecclesia bene merendi voluntatem. Cartusiae 19. Septemb. an. 1604.

Vester in Domino confrater, F. BRUNO, Prior Cartusiae.

Ex aliis ejusdem Reverendi Patris literis, anno 1602. Junii 12. exaratis.

GRatissimam rem Deo & Ordini facietis, si animum & stilum vestrûm applicueritis ad scribendam Historiam Martyrum Cartusiae Rurêmundensis. Urgete igitur pium illud opus ad gloriam Dei, vestrorum laborum remuneratoris: qui Vobis & Nobis abundè benedicat.

Epinicion

In hos felices Cartusianorum Martyrum Agones; Venerabili in Christo Patri D. ARNOLDO HAVENSIO Eximio SS. Theologiae Doctori, ac Cartusianorum Gandensium dignissimo Priori, ab amantissimo suo filio F. Theodoro Petraeo, ejusdem apud Ubios Familiae Professo, decantatum.

M Acte animi virtute Pater, tua gloria caelo
 Tollitur, ut nostrûm crudelia funera Fratrum,
 Agonesque pios (quorum pars magna tenebris
 Abdita delituit, pars impertexta relictæ est)
 Prosequeris viridante stilo, lauroque decora
 In medias rutuli producis luminis auras.
 Scilicet ista phalanx & relligiosa propago est,
 Quae Cartusiâcis aeterna silentia claustris
 Amplectens, contempsit opes, contempsit honores:
 Vestibus hirsutis malè fulta exhaustaque terrae
 Membra premens, summum ut sibi conciliare Parentem

*Emeritam placare iram, atque avertere mundo
Supplicia ultricis possit justissima dextrae.*

*Quorum ter senos infandis Anglia fatis
Interimens; ignara spei, sortisque futurae,
Aut trabe subnexos ferali, aut carcere vinctos
Faetenti pedore necat: mentem furor omnem
Eripuit; placare iram nec mortua possunt
Corpora, Tyrrheni repetuntur facta tyranni,
Vel qui Bystonios humanis artibus olim
Pavit equos; rursus Saevitum in viscera trunci.*

*Namque ubi vita piae mortis lucrata labores
Fugit; Inexpletus furor, & crudelia rursus
Carnifices tormenta parant; mors altera mortem
Subsequitur: saevo diffinditur ense cadaver
Egelidum, ventrisque Nero penetralia rumpens
Thoracis vestigat iter, cordisque recessus
Imos, & tacitis quaecumque reposita latebris
Artifici formata manu, quibus impigra munus
Exercet Natura suum, collapsaque fulsit
Membra vigil, fessasque novat in munia vires.*

*Sic Christi firmata fides; sic conscia recti
Simplicitas letho rapitur; vesana Britanni
Sic furit impietas: quin & majoribus ardet
Suppliciiis urgere fidem, gravioraque ructat
Tormenta, humano necdum satiata cruore
Barbaries, scelerata manus ceu puppe Pelasgâ
Phasias insontem fertur trepidante marito
Absyrtum sparsissie patri: sic corpora in omnes
Artus fissa jacent: tanto quod Daedala fovit
Ingenio Natura parens dissolvitur uno
Temporis articulo. Saevius quae mentibus haeret
Religio? quis fervor agit? quis corripit aestus?
Ut pecudum indutis rabiem sententia menti
Haec sedeat; temerare fidem, subvertere vivo
Marmore surgentes aras, quibus alma Sacerdos
Dona litans devota ferae cadat hostia dextrae:
Ipsos ante focos, primoque in limine mortem*

*Insolitam, nec nota prius spectacula passus.
 Quis mentem pius induret? cui lumina fletu
 Non madeant? lentos videat cum tosta per ignes
 Et suffixa diu portis crudeliter ossa?*

*Heu gentem invisam! quae ferrea pectora gestans,
 Visceribus miserorum & sanguine pascitur atro.
 Ceu lupus oppressae matris vestigia sectans
 Uberibus pasci solitus; cum crescere sensit
 Ungue pedes, & terga comis; jam rupe relicta,
 Indomito comes ire patri, stabulisque minari
 Ardet, & innocui pecoris raptator avaro
 Praedam dente secat. Vitulum ceu forte Molossi
 Cùm cinxere canes, repetitis morsibus explent
 Irritantque famem, certo nec vulnere mortem
 Influxisse satis, lacerant crudeliter artus.*

*Ista Caledoniis vixdum spectacula terris
 Edita, cum totum fama invulgarat in orbem
 Martyrio cessisse iram, cessisse furorem
 Carnificum, dicenda sacris Epinicia ludis.
 Ut subito renovata polum texisse caligo
 Visa fuit, terrasque alias mersisse tenebris
 Perfidiae: Vicina eadem contagia sensit
 Belgica, cùm saevis gradientem Aurantium in armis
 Ruraemunda vides, tua qui per moenia victor
 Irrumpens: tormenta, cruces, & vincla minatus
 Frenet, & innocuo stagnantia tecta cruore
 Polluit. Hic bis sex videas BRUNONIS Alumnos
 Occubuisse neci: saevus per viscera Fratrum
 Transadigit costas mucro. Pars nescia fati
 Vestibulum ante ipsum, primoque furore, repent
 Ense cadit. Pars templa petens pro sanguine palmam
 Spectat nixa genu: sacroque cruore parandum
 In coelos praesternit iter: hos saevior ira
 Excipit, hic major Fidei constantia pugnat.*

*Nil vittae, nil templa juvant. Hunc acta bipennis,
 Hunc glans missa necat: jacet à cervice revulsum
 Huic caput, huic oculos pupulâ, vel dentibus ora*

*Exspoliant; longamque trahunt per vulnere mortem.
Tantus amor suasit pro CHRISTO morte pacisci,
Insigni exemplo, non se majoribus annis
Indecores virtute probant in sanguine vivo
Rite suas lavère stolas, dum corpora vires
Ostendunt, Fideique notant ardentis amorem.*

*Salve sancta phalanx, & Religiosa propago
Sanctorum, Christo sacris mactata sub aris
Victima. Certa manent aeterni signa laboris,
Sanguine sacratus paries. Hic testis in aevum
Sacrilegi quae facta Ducis, fraus omnis, & irae,
Patratumque scelus ventura in saecula patebunt.*

*Vos circumvolitent dextrâ laevâque frequentes
Alituum turbae, coeli stellantis alumni;
Subvectosque ministerio vos praepetis alae
In sublime sacro tollant ad sidera curru.
Hic Pater insignem solio sublimis in alto
AETernâ capiti texet de fronde coronam;
Et celebres rutilis Victores inferet astris.
Felices quorum per mascula funera Christi
Verus amor, & avita Fides stant robore firmo.*





Historica relatio Duodecim Martyrum Cartusianorum Ruraemundensium, die 23. Julii anno 1572. crudeliter ibidem interemptorum.

Auctor lectori.

*Visum est separatim, benevole Lector, exponere Martyrium duodecim
CARTUSIANORUM Ruraemundensium: illo nimirum tempore inauditâ quadam rabie
interfectorum, quando civitas Ruraemundana ab exercitu Guilhelmi Principis Auriaci
invadebatur. Cujus rei gestae Historiam huic loco reservavimus, ut Anglorum
nostrorum Patrum Martyrio oportunè jungeretur. Descripturo autem hanc Historiam,
visum est, paulò altius repetito principio, breviter originem istius Cartusiae, quae
Ruraemundae est, indicare.*

Caput I.

*De Origine Cartusiae Ruraemundensis: quam D. Dionysius Rychelius, ejusdem
Domûs Professor mirificè vitâ & doctrinâ illustravit.*

+ FUit olim Prior Cartusiae Ruraemundensis circa annum Domini 1390. D.
Henricus Kalckar vir eximius, & opinione sanctitatis celebris. Hic Tractatum de
origine & progressu ordinis Cartusiensis conscripsit, quem ipsa Domus
Ruraemundensis non im-

*+Ruraemundae adservatur
tractatus D. Henrici à
Kalckar, de Orig. Ord.
Cartus.*

pressum sed scriptum conservat. Refert autem quomodo primus post Deum & B. Virginem Mariam Fundator Cartusiae Ruraemundensis fuerit, quidam nobilis & generosus Miles; qui ut vitae extitit satis admirabilis, sic varia habuit proposita & diversos animi conceptus, ancipitesque cogitationes, quam aut qualem piam foundationem, utrum Hospitale, vel Monasterium, & cujusmodi, quove in loco institueret.

Tandem nutu Dei, & auxilio B. Mariae semper Virginis in oppidum Ruraemundense venit, ibique locum delegit, & Ordini Cartusiensi attribuit. Qui locus suggerente ipsâ beatissimâ Virgine, ut piè credimus, appellata est Domus Bethleem B. Mariae. Cujus chorus & Ecclesia divinâ ordinatione, licet initio multum reclamante Fundatore, nunc sita est in loco, qui olim satis obscurus, minusque honestus esse videbatur; disponente sic B. Virgine, ut ibi filii sui laudes celebrarentur, ubi prius turpia perpetrari solita erant: ibique purissima Virgo purissimè coleretur, ubi antea res impurae committebantur. Itaque Sanctissimae Virgini Mariae hujus Cartusiae institutionem originemque post Deum tribuimus. Ipsa enim velut incepit & promovit hanc Domum, semperque diabolo restitit, & ejus elusit conatus, quando ille omnis boni inimicus nunc per amicos Fundatoris, nunc per alios quoscunque hoc pium opus conatus est impedire. Recepta autem est nova ista plantatio Bethleem Ruraemundae anno 1376. & Ordini incorporata anno Domini 1380. Cui laudabiliter admodum praefuit aliquot annis praedictus D. Henricus de Kalekar, quem Trithemius in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, & in Catalogo Virorum illustrium Germanië commendat. Et vir doctissimus Thomas Bozius Eugubinus cap. 3. lib. 22.⁺ de signis Ecclesiae, sanctum virum fuisse scribit, atque inter viros Ordinis nostri sanctitate & doctrinâ illustrissimos (sic enim loquitur) recenset. Fuit verò Prior in septem domibus Ordinis nostri propter virtutem &

⁺Thomas Bozius lib. 22. cap. 3.

industriam suam. Inter quas fuit Domus Ruraemundensis, quam rexit annis quinque, & postremo obiit Coloniae anno Domini 1408. non sine opinione sanctitatis. Post hunc Prior extitit hujus Cartusiae Domûs⁺ Bethleem insignis vir D. Bartholomaeus, qui vixit anno Domini 1446. de cujus scriptis celebrem mentionem facit idem Trithemius de Ecclesiasticis Scriptoribus, & in libro de Viris illustribus Germaniae. Habuit & alios praeclaros viros hæc Domus Ruraemundana; inter quos fuit præcipuè celeberrimus toti orbi DIONYSIUS noster RYCHELIUS. De cujus doctrina & variâ eruditione⁺ post Trithemium ita scribit jam dictus Bozius, vir similiter multae variaeque lectionis & admirabilis eruditionis cap. 4. lib. illius 22. cujus paulò ante memini.

⁺*Quinam viri celebres olim' vixerint in Cartusia Ruraemund.*

⁺*Bozius de Dionysio Cartusiano.*

Inter Theologos (ait) eminentissimos Germaniae, subtilitate & soliditate doctrinae praestantes, unum pono Dionysium Cartusianum instar omnium. Septem namque ille summè praestitit quae ab ullo Catholicorum⁺ huc usque praestita non videmus. Nam *primo* loco in singulos divinae Scripturae libros erudita Commentaria⁺ composuit, quae priscis haud cedant. *Secundo*, singulas quaestiones ad Theologiam spectantes argumentis in utramque partem doctissimè propositis disputans, commentariis editis in Sententiarum libros.⁺ *Tertio*, quicquid pertinet ad excolendos mores omnium mortalium, cujuscunque illi sint conditionis, sexûs & statûs, singulatim genera eorum distinguens ac⁺ informans, propriis libris est complexus. *Quarto*, quaecunque pertinentia ad Contemplationem rerum caelestium variis Operibus est diligentissimè & latissimè⁺ persecutus. *Quinto*, adversus Saracenos & alios quosvis Catholicae Fidei hostes, volumina sua speciatim⁺ composuit. *Sexto*, Homilias ut vocant, edidit in Festos Sanctorum dies Euangeliorumque occurrentium⁺ lectiones. *Septimo*, Apocalypsim dedit in lucem, quâ sibi plurima futura divinitus ostensa narrat, & in his, Germaniae Septentrionisque quem nunc lugemus infe-

+1.
+2.
+3.
+4.
+5.
+6.
+7.

licissimum casum. Discescit autem tantus vir anno Domini 1471. Hactenus Bozius de doctrina D. Dionysii nostri. Porrò quod attinet ad vitae sanctitatem ipsius cum tanta eruditione conjunctam, hoc modo idem Bozius breviter subjungit. *Quid igitur* (inquiens) *non mirificè gloriatur Germania tanto viro* (Dionysio) *quantum Sanctimoniâ simul ornatum vix protulit ulla aetas, ulla gens, ab orbis ipsius fabricatione.* Haec Bozius in genere; in specie autem & particulari nos alibi fortè copiosius.

Hanc itaque Cartusiam à Deo & B. Virgine Maria atque à tam praeclaris viris inchoatam, promotam & olim illustratam, quo pacto sanguine quorundam ejusdem Domûs alumnorum pro fide Catholica & religionis monasticae professione fuso, Deus his postremis temporibus magis etiam stabilire & provehere illustrioremque reddere voluerit, nunc quâ fieri poterit brevitate ac fidelitate exponam.

Caput II.

Quanto furore, occupatâ civitate Ruraemundensi ingressi sint milites Haeretici monasterium Cartusianorum, & quam inexplebili avaritia per furtum & latrocinium pecuniam & thesauros Ecclesia extorquere conati sint, & de causa Martyrii.

ANNO igitur Domini sesquimillesimo septuagesimo secundo, die vigesimo tertio Julii, milites haeretici duce Principe Orangië Guilhelmo Comite Nassovio Ruraemundam Geldriae Ducatûs civitatem invaserunt, & quod in ipsa oppugnatione, quosdam ex suis amisissent, acriter in Religiosos praesertim, crudelitatem suam propter odium Fidei Catholicae exercuerunt. Aberat tunc in ipsa invasione (paulò enim ante discesserat) primus ejus urbis Episcopus Reve-

rendissimus Guilhelmus Lindanus virtute & doctrina clarissimus, quem si furiosus miles invenisset, multa in eum crudelitatis exempla, ut quidem verisimile est edidisset. Cujus Bibliothecam optimis libris undique, conquisitis, plerisque perantiquis & necdum in lucem editis instructissimam hostes discerpserunt, atque vastaverunt, multis libris laceratis, distractis, & in varia loca integris plaustis divectis. Omissis autem eis quae alibi diximus in ista vastatione designata esse, veniam ad Cartusianos nostros; in quos sanè horrendum in modum incurrerunt partim inveterato in monachos odio, partim pecuniae inexplebili cupiditate accensi. *Quo non mortalia pectora cogis auri sacra fames?* Vox & clamor illis in ore frequens nummos & pecuniam postulantibus, instar furum & latronum. Quorum exempla imitari, & ejusmodi scelera & sacrilegia committere, ipsos Lutheri pseudo - Euangelium docuerat, quemadmodum olim Ariani (ut in vita S. Antonii⁺ scribit B. Athanasius) in Catholicos atrociter saevierunt, non solùm eos exquisitis tormentis excruciatos ad mortem rapientes; sed etiam Ecclesiarum facultates sacrilegè diripientes; & Catholicos, praesertim sacerdotes & monachos, qui aut fidem & religionem, aut patrimonium Christi prodere nolebant, martyrio afficientes. Sicut non tantum ab Arianis factitatum esse, verùm etiam à Donatistis ex D. Augustino & Optato Milevitano alio loco demonstrabimus. Hi enim similiter Ecclesias spoliarunt & sacra prophanarunt, atque in servos & ancillas Dei sceleratas & impuras manus injecerunt. Denique testis est Prudentius, & D. Ambrosius, aliique per celebres auctores, quomodo⁺ olim Decius tyrannus S. Laurentium ad tradendos Ecclesie thesauros impellere conatus sit, & *quia Sanctus Levita aurum Ecclesiae maluit erogare pauperibus, quam persecutori reservare* (ut utar verbis B. Ambrosii lib. 2. offic. cap. 28) *pro singulari suae interpretationis vivacitate sacram acceperit martyrii coronam.* Et rectè

⁺B. Athanasius.

⁺S. Laurentius martyr nolens tradere thesauros Ecclesiae occiditur.

quidem Ambrosius hoc modo loquitur: non enim martyrem⁺ Christi paena, sed causa facit, ut auctor est D. Augustinus pluribus in locis, praesertim Epistola 61.⁺ ad Dulcitium, & Epistola 167. ad Festum, & lib. 3. contra Cresconium cap. 47. atque concione 2. in Psal. 34. denique in praefatione Psalmi 43. ^{+D. Ambrosius.}
^{+Causa martyrii: B. Aug.}

Porro causa martyrii, teste S. Thoma 2. 2. Quæst.⁺ 124. non tantum est fides, sed iustitia, veritas, religionis monasticae professio, omniumque virtutum opera, quatenus in Deum referuntur. Sunt enim quædam fidei protestationes. Nam neque D. Joannem Baptistam, neque S. Lambertum Leodiensem Episcopum fidei professio martyrem fecit, sed sceleris adulterii libera redargutio. Et Ecclesia S. Fredericum Episcopum Trajectensem martyrem celebrat, ea de causa quod sicut & Joannes Baptista hic coarguit Regem Ludovicum ob introductam pellicem consanguineam, cujus artibus missis sicariis occisus est, ut ait Baronius in Martyrologio 18. Julii. ^{+S. Thomas Aquinas.}

Praeterea Angli sanctum Elphegum venerantur ut martyrem, de quo in Martyrologio Romano ita habetur 19. Aprilis. *Cantuariae in Anglia sancti Elphegi Episcopi & Martyris*. Hic tamen non fidei confessionis causa, vel testandae veritatis, sed tantum caesus sit, eò quod barbari aurum, quod posebant, apud ipsum non invenissent. De qua re consultus S. Anselmus à Lantfranco, respondit se firma ratione novisse, Elphegum Martyrem esse, eò quod pro iustitia occubisset. Haec Edinerus in vita S. Anselmi Cantuariensis Episcopi.

Insuper celebratur in Ecclesia die 3. Septembris Natalis sanctorum Martyrum Aigulphi Abbatis Lerinensis & sociorum Monachorum, qui praecisis linguis, oculisque effossis gladio obtruncati sunt. In illorum verò Actis, quae Surius, ut Baronius loquitur, sincerè descripta refert, legitur: Sanctos illos à duobus pseudo-Monachis invidiae stimulis agitatis, quibus

exosa erat observantia disciplinae monasticae, gravia passos esse, ad eamque rem usos operâ cujusdam Nummoli principis, hominis impii & avari, qui ad monasterium ab illis accersitus, cupiditatis flammâ incensus & praedâ inescatus, coepit à singulis pecunias extorquere. Negant illi sibi aliquid pecuniarum esse, utpote qui ex vitae instituto, quod professi fuerant, nihil omnino proprii possiderent. Ille verò hac sua spe frustratus recipiendi pecunias, ipsa bona Monasterii invadit ac dirupit, cunctaque quae impia ac scelerata cupiditas suadebat avehit. Post quod factum Beatus Aigulphus & socii variis atrocibusque suppliciis affecti, & extra Monasterium per vim & improbitatem dictorum pseudo-Monachorum per fluctus marinos abrepti & avecti, post multas contumelias & cruciatus capite caesi sunt; quos, ut dixi, Ecclesia uti Martyres colit, quamvis non ob fidem, sed ex malitiâ occisi eorum, qui virtutem & sanctitatem vitae monasticae oderant. Sed his praemissis de causa Martyrii, prosequamur Historiam Martyrum nostrorum Cartusianorum Ruraemundensium.

Caput III.

De V.P. Priore hujus Cartusiae Ruraemundensis, quomodo suos Religiosos pius & sollicitus Pater ad mortem instruxerit, & de nece Fratrum Laicorum, deque crudelitate in Monachos repertos in cellis.

PRaeerat tunc temporis Cartusiae Ruraemundensi, multisque annis eam Domum præclare administraverat vir admodum venerabilis D. Prior Joachimus à Congerlo. Hic Pastor bonus videns lupos venientes, non ut mercenarius fugam iniit, aut dimisit oves; sed cum cis in Ecclesiam se recepit. Et quoniam tem-

poris angustiâ excluderentur, quò minus in particulari de peccatis suis singuli confiteri possent, post factam generalem in capitulo confessionem, ipsis Summi Pontificis, Christi - Jesu vices in terris gerentis, absolutionem impartivit; muniens & exhortans eos in hoc vitae discrimine ad mortem constanter obeundam pro Fide catholica & monasticae disciplinae professione, cujus vel nomen solum sceleratis istis exosum & execrandum erat.

Itaque furibundi milites in Monasterium magno impetu⁺ irruentes, primum incidunt in janitorem nomine Fratrem Stephanum patria Ruraemundensem, ex genere vel ordine eorum quos Conversos vocamus; qui eos comiter & benignè excipiens, ut primùm ipsorum furoris impetum frangeret, ultro claves illis' obtulit, usus quâ potuit verborum suavitate. At illi homines truculenti nihil moti boni fratris morum facilitate, primum rejiciunt claves, dein aggrediuntur miserum, volentemque in domum vicini effugere intercipiunt & malè tractant, arreptisque ligonibus caput effringunt, excussoque cerebro crudeliter necant.

⁺*Omnium primò crudeliter interimitur portarius F. Stephanus.*

Caeterum in Scripto illo, quod Reverendus D. Decanus⁺ Buscoducensis D. Gisbertus Couverinx Ruraemundâ acceptum, & Reverendissimi Domini Lindani esse creditur, mihi communicavit, haec habentur. *Ostium ingressi, primam illic mactant Christo victimam, ac perpinguem illum Patrem pauperum portarium trucidant. Hunc vulneribus gravissimis conficiunt, ac juxta puteum, qui ad dextram est ingredientibus humi prostratum porcorum instar incidunt, emasculant, eviscerant. Ad haec abdomen utroque ex ventris latere crudelitate plusquam Turcica oppandunt. Cumque in mortui viscera, pro suo furore atrocissimè desaeviissent, ac praecisa dudum (sit honor auribus oculisque pudicis) verenda ori ejus summâ impudentiâ inseruissent, ad bellum istud lepidumque spectaculum faeminas tota convocantes vicinia, Huncine (inquiunt) agnoscitis Monachum?*

⁺*Immaniter impudenterque tractatur.*

Atque hic primus ab eis occisus est in ipso introitu & limine velut monasterii. Quo facinore in ipso ingressu perpetrato mox insiliunt maximo tumultu in anteriorem monasterii aulam, atque in cellas fratrum Laicorum irrumpunt, quae se primo loco ingredientibus⁺ offerebant. In quarum una Fratrem Albertum Winsemium, coquum monasterii senio confectum & correptum apoplexiâ, offendunt; quem lecto decumbentem, quod se movere non posset, subito immaniter trucidarunt.

⁺*F. Albertus coquus intersicitur.*

⁺ Deinde alium invadunt nomine Fratrem Joannem Sittardum. Is erat pistor & coctor cerevisiae monasterii, & sese abdiderat in tugurio quodam sub strue lignorum, sed tandem inventum repente interfecerunt. Fiebant haec omnia celeritate quadam & repentino furore.

⁺*F. Joannes Sittardus perimitur.*

⁺ Inde cum magno clamore se effundunt in interius monasterium, januis vi effractis. Ac primum obvium habuerunt senem quendam venerandum Sacerdotem, qui prae diuturna infirmitate & affecta aetate debilitatus, scipioni innixus properabat ad Ecclesiam, ut aliis ibidem congregatis, & ad oppetendam mortem paratis sese adjungeret. Hunc ita sibi obvium factum subito confodiunt. Nomen illi erat Erasmus Trajectensis.

⁺*D. Erasmus Trajectensis confoditur.*

Pergentes verò insani milites, aliorum clausa cellarum ostia validis ictibus evertunt, caedibusque ac rapinis omnia replere ac foedare conantur; atque inter caeteros reperiunt grandaeuum quendam Patrem, cui⁺ nomen erat Matthias Coloniensis, simplicem adeò, ut propemodum ignoraret, quando Dominica dies in hebdomada occurreret. Hunc pauperculum homines barbari in ipso cellae limine, nihil reveriti ipsius canitiem atque columbinam simplicitatem, occidunt.

⁺*D. Mathias Coloniensis interimitur.*

Deinde velut furiis agitati, huc illucque discurrentes irruunt efferatâ rabie in cellam alterius Patris Senioris D. GUILHELMI WELLEN, qui Prior Do-

mûs quondam fuit annis duodecim, & ante Vicarius, vir singularis pietatis. Cujus exemplo plures qui erant illi sanguine juncti, Ordinem ingressi sunt, & digni habiti pro nomine JESU & professione sua monastica aut contumeliam pati aut mortem.

Huic seniori aderat junior unus, nepos ejus, nomine Leonardus Leodiensis, qui bono Patri serviebat, & malè habenti operam diligentem impendebat. Quibus visis exclamaverunt ingenti voce homines impii: *Hic sunt*, ajunt, *hic sunt Monachi, hùc adeste socii & commilitones, interrogemus ipsos, ubi sunt thesauri & pecuniae*, Et aggressi seniore[m] Patrem, post dira verba & convitia, infligunt illi vulnus in pectore, non tamen lethale, coguntque eum multis gravissimisque minis mortis intentatis, ut pretiosiora ornamenta Ecclesiae & vasa argentea (puta argenteum thuribulum, ampullas argenteas, itemque casulas, quas vocamus, instrumenta pacis, ut appellant, & similia quae penes se in cella recondita habebat) ipsis manifestaret & traderet. Atque ita neci jam imminente subtractus est, brevi tamen, exigente naturâ, propter exactam aetatem moriturus. Nam vix uno aut altero anno elapso, in Cartusia Cantaviensi propè Juliacum vitam cum morte commutavit.

^{+D.} *Guilhelmus Wellen senior vulneratur, & cogitur tradere ornamenta Ecclesiae.*

Juvenem autem Monachum illum, quem diximus⁺ infirmi Patris curam gessisse, dictum Leonardum, ostiatim per monasterium circumducentes, retortis inclementer digitis manûs alterius, dato in os ejus colapho, ita graviter ut superius labrum ad dentes allisum finderetur, impellunt & mirificè exagitant, ut ornamenta & occultos thesauros proderet. Sed nihil extorquere potuerunt, quippe ab eo qui nihil haberet. Verum abductus postea captivus in castra Principis Orangiae, accepto in capite gravi vulnere, tandem viginti daleris redemptus est. Hunc postea vidimus Priorem dictae Domûs Ruraemundensis.

^{+D.} *Leonardus graviter tractatur & vulneratur.*

Caput IV.

Quam sacrilega barbaries in Ecclesia perpetrata sit, trucidatis aliquot crudeliter ante summum altare Monachis, aliis graviter vulneratis.

HI in Monasterio sceleratè admissis, involant sacrilegi in templum, & in ipsum sacrum templi⁺ chorum, in quo quam immaniter & irreverenter sint grassati, quis absque lachrymis referat? quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrimarum, ut plorem die ac nocte interfectos meos in templo? adeoque in ipsis ferè summi altaris gradibus occisos, ibi enim defixi ac provoluti in terram jacebant dediti orationi, mortemque expectantes, aut potius gaudium de tantâ gratiâ & tam excellenti beneficio Martyrii; ipsisque congratuler, utpote translatis de morte ad vitam; de miseria hujus vitae temporalis ad beatam vitam & immortalem in caelis, atque ex Ecclesia militante ad triumphantem Ecclesiam, denique de gradibus altaris⁺ materialis ad altare aureum quod est ante tronum Dei & Agni, in templo quod est Dominus Deus omnipotens & Agnus, quemadmodum in Apocalypsi dicitur. ^{+Jerem. 9.} ^{+Apoc. 8. & 21.}

Neque enim truculentos istorum nefariorum hominum animos, vel sacratus Deo locus, vel Reliquiarum Sanctarum, adeoque nec ipsius Vener. Sacramenti reverentia commovere, neque omnia Ecclesiae ornamenta jam erepta, quae & plurima & pretiosa erant, potuerunt explere; quò minus sacrilegas manus in ipsos quoque Christos Domini extenderent.

Igitur calicibus sacris ablati, multaue praeda rerum Deo consecratarum ex templo monasterioque accepta, cum necdum posset ipsorum saturari aut crudelitas aut cupiditas, gravius etiam inclamarunt, &

magna contentione plura exegerunt & extorquere conati sunt à Religiosis ante summum altare prostratis. Qui cum responderent se nihil quod supersit novisse, rogarentque ut vel nudos, rebusque omnibus exutos & spoliatos, solâque vitâ donatos ejicerent; illi immanissimi furoris oestro perciti, ac diris juramentis se devoventes vociferabantur, nisi latentes thesauri proferantur in lucem, se omnibus ad unum & singulis vitam laqueo erepturos. Quas voces ultro citroque eundo & redeundo aliquoties ingeminantes, tandem à minis & verbis ad verbera scelerati progrediuntur. Et extractum è medio aliorum quemdam Diaconum⁺ Henricum *Wellenium* ante se statuunt, eique verbis insultant. *Tu vafer juvenis (ajunt) Tu nosti utique, Tu monstrabis nobis, quas investigamus pecunias.* Quo respondente, id quod res erat, nihil se prorsus scire: en scelestus quidam, adacto in pectus ejus pugione, crudeliter in ipso choro ante altare summum cum de medio sustulit.

⁺*Henricus Wellenius
Diaconus in templo
occiditur.*

Porro non procul inde erat similiter sacro ordine⁺ Diaconatûs insignitus Nicolaus *Gangelt*. Is ex improvise globulum venenatum ex ictu sclopeti in manus suas, quas more supplicum in caelum tendebat excipiens, timore correptus in terram corruit, latuitque aliquamdiu sub revolutis super faciem vestimentis suis, usque dum venirent qui ipsum sub alieno habitu captivum abduxerunt cum D. Joanne Trajectensi, qui & ipse graviter bipenni in capite laesus, & altero brachio sauciatus fuit. Utrique autem vita servata est; cùm pro unius relaxatione viginti floreni, pro alterius decem penderentur.

⁺*D. Nicolaus Diaconus & D.
Joannes Trajectensis
sauciantur & relaxantur
pecunia.*

Cum sacrilegi eo dementiae pariter & audaciae devenissent, ut pro nihilo ducerent innocentem sanguinem effundere, etiam adoriuntur spe thesauri alicujus obtinendi, impellente eos avaritiâ, & concepto in Monachos odio Religionis causâ, adoriuntur inquam D. Guilhelmum Wellenium Procuratorem Domûs, qui

cùm non posset nec vellet dare quod diri exactores postulabant; furore accensi, bipenni validè vibrata caput ferè per medium secant, & paulò post semi vivum de Ecclesia extractum in plateis glande plumbeâ trajiciunt.

⁺ Deinde impetum faciunt in D. Joannem Leodiensem, & trajecto ejus femore ictu sclopeti in terram prosternunt, ac tam diu bellicis instrumentis caput ejus contundunt, donec post longam cum morte conflictationem, spiritum Deo creatori suo redderet, in aeternum victurus in gloria.

⁺D. Joannes Leodiensis
necatur.

Caput V.

Qua crudelitate & contumelia saevitum sit in alios quosdam.

PRaedicti D. Joannis Leodiensis necem truculentem subsecuta est excarnificatio; vel, ut verius dicam, ⁺ Martyrium D. Joannis *Leewis*, quem miles unus crudelis ferociter invasit, sciscitans valdè importunè, ubinam essent thesauri. Illoque affirmante verè non esse sibi argentum & aurum, nihilque de thesauris sibi constare, cùm homo improbus magis instaret & urgeret, duo ex nostris Religiosis qui astabant, vdelicet Joannes *Asz* Sacerdos, & Joannes *Gressenech* Diaconus, videntes Confratri suo paratum malum ab homine insano, commiseratione quadam commoti, dulci sermone aggrediuntur militem, & verbis blandissimis rabiem ejus⁺ lenire conantur, scientes scriptum esse: *Responsio mollis frangit iram*. Eia (inquiunt) amice bone, parce & ignosce nobis: quemadmodum Frater noster dicit, ita se res habet. Nemo nostrùm habet vel dare potest, quod à nobis exigitis.

⁺D. Joannes Leewis
trucidatur atque illuditur.

⁺Prov. 15.

Quibus precibus & verbis mansuetissimis ille etiam magis exacerbatus: *Scio*, ait, *quid sit, estis confoederati, & conjurastis simul, ne proferatis thesauros & pecunias quas*

requirimus. Dixit, & ecce homo, humanitatis omnis & probitatis expers, sica in pectus defixa, eum non interemit solùm, verum etiam dum adhuc animam ageret in templo, quidam ex sicariis videns illum adhuc ducentem spiritum: *En* (inquit) *ut hiat, ut palpitat Monachus iste*, procaciter insultans morienti; quod in Turcis atque Tartaris jure reprehendas O cor durum & insensatum! *Utinam saperes & intelligeres & novissima⁺ provideres; quia cor durum malè habebit in novissimo!* Sed istud odium Monachorum peperit praeclarum illud Pseudo-Euangelium, quod plenis buccis crepant, & ipsi Monachi Apostatae, ut servirent libidini suae invexerunt, atque impurissimo corde & ore evomuerunt; praeclarè insistentes vestigiis majorum suorum & antecessorum haereticorum, aemulantesque mores & ingenium Arianorum & Donatistarum, ut suo loco demonstrabimus.

⁺*Deut. 32. Eccl. 3.*

Hoc igitur sic interfecto, neque illis parvitum est,⁺ quos retuli jam dicto D. Joanni *Leewis* astitisse & pro eo fuisse deprecatos. Nam alter, videlicet D. Joannes *Asz* sinistro brachio transfixo corruit in terram, atrociter vulneratus: quem & alius quispiam pari crudelitate in templum superveniens, atque huc illucque circumspectans, dum videt inter alios religiosos miserè trucidatos, hunc jacentem in terra semi-vivum, ac penè exanimem, atque moribundum; *Eia* (ait) *digna factis praemia tulistis Monachi;* & simul, nescio quo vel malleo militari, vel nodoso fuste, aut simili re, secundo ac tertio ita caput ferit miseri Religiosi, ut sanguine copiosissimè manante, deliquium animi pateretur, omni usu sensuum destitutus.

⁺*In peculiari quodam Tractatu, brevi typis promulgando. D. Joannes Asz atrociter vulneratur & miserè vexatur.*

Interim statim ad se rediens, & paululum sui compos factus, orabat Dominum, ad mortem sese comparans. Interrogatus postmodum (nam morti subtractus, aliquamdiu postea supervixit) quid animi habuisset, & quomodo fuisset affectus, in ista extrema necessitate constitutus, respondere solet & dicere:

⁺ *In tanta miseria & discrimine dum versarer ego (quod tamen absque arrogantia dictum velim) caepi me animamque meam Deo commendare, & orare quantum & quomodo potui, cogitans dictum illud Christi, quod venit hora ut ex hoc mundo transeam ad Patrem. Itaque animadvertens⁺ quidam ex satellitibus, cernensque me labia moventem, calcem bis in faciem impegit, his verbis usus, Siccine perverse Monache orare necdum cessas? Ego verò quo me tunc miserum verterem? foris pugnae, intus timores. O bone Jesu! (dicebam) O si ocius liberares & expedias me ab hisce malis, sive per vitam sive per mortem, secundum quod placitum est ante te. Sic me ingemiscente saepius, altiusque suspiria attrahente, tandem nobilis quidam Germanus (ut videbatur) ex illo hostium exercitu ingressus in templum, quadam humanitate commotus, miserè excruciatum & penè natantem in sanguine in pedes erexit, & per medios hostes clamantes (Tolle, tolle Monachum, irrue in eum, & interfice Monachum) eduxit extra monasterium in aede cujusdam civis; ubi sic servatus sum, ut tamen necesse fuerit Capitaneo, qui in istis aedibus versabatur, centum coronatos numerare, nihil penitus exigente nobili illo, qui tam insignem humanitatem erga me declaraverat.*

⁺ *Relatio D. Joanni Asz quo pacto à militibus tractatus sit.*

⁺ *Joan. 13.*

Haec uti retulimus, ex ore illius acceperunt ii cum quibus postea curatus in Cartusia Coloniensi, piè ac religiosè vixit. Atque ita quidem praefatus Joannes Asz tractatus & exagitatus fuit. Alteri verò, quid acciderit, qui similiter astabat (ut dictum est) quando nefarius miles D. Joannem *Leewis* adoriebatur, & quo pacto vita ipsi erepta sit, breviter exponam.

Nomen ei erat, quemadmodum paulò ante dixi,⁺ Joannes *Gressenich*. Qui cùm, sicut narratum est supra, placidè, blandiloquente oratione, saevitiam illius, quem diximus Joannem *Leewis* occidisse, inflectere frustra conaretur, accepit & ipse ab eo plagam mortiferam, in dorso tam horrendè laesus, ut ferrum interiora omnia ad pulmonem usque pervaderet. Delatus tamen aegrè est, ipse valde aeger in *Maseyck*, quod est

⁺ *D. Joannes Gressenich horrendè laesus post moritur ex vulnere.*

oppidum vicinum in ditione & Episcopatu Leodiensi, ibidemque in Conventu Cruciferorum, frustra chirurgorum operâ adhibitâ, aliquot post dies discessit è vita.

Caput VI.

De Domini Severi, Professi Domûs Cartusiae Confluentinae⁺ & hospite in domo Ruraemundana excarnificatione in templo, & morte ipsius.

OPortunè nunc referendum est, quam hostiliter & immaniter actum sit cum Monacho quodam Cartusiae Confluentinæ professo, qui Dominus Severus dictus, tunc hospes in Domo Ruraemundana degebat, & ante aram sacram B. Virgini Mariae crudeliter mactatus est. Is, nescimus qua simplicitate sibi persuaserat, quod hostes licet essent externa quaeque direpturi, nequaquam tamen eos indumentis spoliarent, sed expulsos ex Monasterio, sinerent abire. Unde duabus oblongis tunicis, duobusque cucullis indutus prodiit, & cum aliis comparuit in Ecclesia. Sed qui mortuis, jamque morituris vestes omnes usque ad nudum corpus detraxerunt, quomodo huic parcerent? Statim ergo atque in templum adeoque in chorum ipsum sacrum veniunt, unus ex illis dictum Severum severè compellat his verbis. *Quid, inquam, tu Monache prae caeteris his veluti exuviis onustus es? Quid hoc sibi vult? cur ita duplicibus vestitus ac tot indumentis gravatus & oneratus incedis? Cujas es?* Illo respondente, *Confluentinus sum, missus huc ab obedientia ex mandato Superiorum meorum. Et ego (ait ille) Confluentinus sum. Itaque conterranei sumus. Sed tu, si vitam laude dignam apud tuos⁺ duxisses, utique mansisses in solo illo patrio tuo.*

Repetente autem Severo idem quod ante dixerat, aliisque Religiosis, qui aderant, idem affirman-

⁺Hospites vocant Cartusiani illos, qui in aliae Domo professi, non in proprio morantur Conventu, sed alibi per modum hospitii, ad tempus degunt.

⁺Dominus Severus ante sacram aram B. Mariae mactatur.

tibus, *Nequaquam* (inquit ille) *verbis fidem adhibeo: sed sistat hic gradum iste, manibus meis illum hic emori oportet* His dictis accurrit & rapuit quae potuit, fugientemque Severum ad chorum Laicorum insecutus, ante altare B. Mariae Virginis trucidavit, vel certè gravi vulnere confecit, & sauciavit in capite. Nam⁺ incertum habemus, utrum ibidem animam efflaverit, & Deo creatori suo spiritum reddiderit; altera enim die in culina Monasterii inventum est cadaver ejus, vestibus omnibus spoliatum, ac planè nudum lacerumque crudeliter, ac bulliente aqua perfusum. Accidit autem hic res stupenda dignaque relatu.

⁺*Bullienti aquâ corpus ejus perfunditur.*

⁺ Cum iste D. Severus ferro caederetur ante altare, ut dictum est, B. Mariae Virginis, sanguis ejus in altitudinem octodecim pedum emanavit & erupit, parietemque altari D. Virginis vicinum aspersit, non sine grandi miraculo. Qui sanguis à pluribus viris gravibus & praesertim Episcopis saepè cum admiratione visus (cujus rei oculati testes sunt Reverendissimus Lindanus primus Episcopus Ruremundensis, & modernus Reverendissimus Cuyckius, ejusdem Ecclesiae secundus Antistes) etiamnum atque in hodiernum usque diem in pariete apparet. Sed vehementer dolendum, quod nunc majore ex parte obliterated & calce obductus sit: nam dum paries postmodum dealbaretur, injuria quadam factum est, quod multa cruoris illius vestigia in pariete partim abraderentur, partim illinirentur, vel albario opere inducerentur.

⁺*Sanguis in Altitudinem octodecim pedum erumpit, parietem templi usque in praesentem horam cruentans.*

⁺ Potereat sanè miraculum istud homines sceleratos arguere facinorum suorum, & ab eis vindictam reposcere,⁺ perinde ut olim vox sanguinis justi Abel clamavit ad Deum de terra, quae susceperat sanguinem ejus. Sed haec erat hora ipsorum & potestas tenebrarum. Atque hoc quidem modo hi, quos diximus, in templo ante Altaria vulnerati, necatique dirâ lanienâ conciderunt, tanquam victimae quaedam mactatae, Deoque oblatae. Insultantibus nihilominus istis insanis mi-

⁺*Genes. 4.*

⁺*Luc. 22.*

litibus atque in has voces prorumpentibus. *Ita vos docebimus Monasticas gestare cappas.* Hoc, inquam, modo, in loco sacro atque in Ecclesia interempti martyrioque affecti sunt isti Confratres nostri Cartusiani ad similitudinem quodammodo & imitationem quorumdam Sanctorum (quamquam illis nequaquam in vitae sanctitate comparandi) quos Historiis proditum est similiter in templo gloriosè occubuisse & Martyrii palmam⁺ consecutos, non solùm ob Fidem, sed etiam propter justitiam aliasque virtutes.

Et quidem de Zacharia Christus ait, ipsum occisum inter templum & altare; sive ille fuerit pater S Joannis Baptistae (quemadmodum volunt Graeci omnes Patres, ut Cyrillus ad Collosyrium, Origenes homilia 26. in Matt. Basilius homilia de Nativitate, Gregorius Nyssenus de Nativitate, Epiphanius de vitis Prophetarum) sive Zacharias unus ex duodecim Prophetis, ut videtur Chrysostomus sentire in homilia de Nativitate S. Joannis Baptistae Tom. 2. Quam sententiam nonnulli probant, ut Ribera in caput 1 Zachariae scribens; sive ut magis placet Hieronymo in caput⁺ 23. Matth. Zacharias filius Joaïdae, de quo Lib. 2. Paralip. cap 24.

⁺*Qui Martyres olim in templo occisi. S. Zacharias inter templum & Altare occisus Matth. 23. Cyrillus. Origenes. Basilius. Gregorius. Epiphanius.*

Deinde si credimus Abdiae, S. Matthaeus Apostolus⁺ & Euangelista in ipso altari interfectus est, propter Virginitatem, quàm Deo per votum dicatam & consecratam servandam esse, nec per matrimonium violari posse docebat; ita ut Hyppolitus in libello de duodecim Apostolis scribat, S. Matthaeum factum victimam virginitatis. Quid? nonne de S. Stephano Papa & Martyre legitur in Martyrologio Romano die⁺ 2. Augusti, quod in persecutione Valeriani, dum Missae Sacrificium perageret, supervenientibus militibus ante altare intrepidus & immobilis caepta mysteria perficiens, in sede sua decollatus sit?

⁺*Hieron.*

⁺*S. Matthaeus in Altari interfectus. Abdias Hyppolitus.*

⁺*S. Stephanus Papa ante Altare decollatus est.*

Praeterea S Fredericus Episcopus Trajectensis (de⁺ quo in Martyrologio Romano 18 Julii) Martyrio

⁺*S. Fredericus peracto*

+ occubuit propter reprehensum adulterium, in templo peracto sacrificio à duobus sicariis, abditis in sacri viri viscera sicis in Oratorio S. Joannis Euangelistae crudeliter interemptus: ut vitae ipsius historia apud Surium testatur.

+ *Sacrificio interemptus in oratorio S. Joannis.*

+ Denique S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, ob defensionem justitiae, & Ecclesiasticae immunitatis, impiorum hominum factione in Basilica sua gladio percussus, occubuit; uti habet Martyrologium Romanum 29. Decembris cerebroque primum è capite in faciem ejus defluente, deinde cum sanguine per pavementum sparso Martyrii coronam adeptus est, ut refertur in Vita ejus, quàm Eduardus contemporaneus illius edidit.

+ *S. Thomas Cantuariensis in sua Basilica trucidatus.*

+ Sed & illud potissimum hoc loco observandum, istud fuisse ingenium potissimum haereticorum, à quibus similia olim in loco sacro perpetrata sunt, ut nimirum in templo atque in ipso adeo Altari Sacerdotes catholicos, quales nostri fuêre Carthusiani, occiderent; docent namque hoc antiqua exempla.

+ *Haereticis familiare etiam antiquis in templo occidere Catholicos.*

+ Sic enim S. Polychronius Presbyter tempore Constantii Ariani Imperatoris cum ad altare Missas ageret, invasus est ab Arianis & jugulatus; ut habet Martyrologium Romanum 6. Decembris. Sic Alexandriae ab Arianis Catholici dum in Ecclesia Synaxim agerent, diverso mortis genere interempti sunt, & alii sagittis, fustibus alii & calcibus elisi coronam Martyrii perceperunt; quorum Martyrum fit mentio in Romano Martyrologio 28. Januarii. Facta est autem ista strages à Syriano militiae Duce Ariano, qui veniens Alexandriam, ex improvise intempesta nocte, populo in Ecclesia cum Episcopo pernoctante in orationibus, quinque armatorum millibus (ut auctor est Nicephorus l. 8. hist. Eccl. c. 6.) cinctam irrupit in Ecclesiam, & tam nefandas & horrendas caedes Clericorum, Virginum, & laïcorum ejus milites fecerunt, ut superent omnem barbariem.

+ *S. Polychronius ab Arianis Altari assistens, gladiis jugulatur. Plurimi Martyres ab Arianis in Ecclesia interempti. Multi Martyres ab Arianis in Ecclesia Theonae occisi.*

Praeterea 13. Maii in Martyrologio fit commemoratio plurimorum Martyrum, qui ab Arianis in Ecclesia Theonae occisi sunt, de qua clade Catholicis illata per Lucium Pseudo-Episcopum Arianum agit B. Greg. Nazian. in Orat. in laudem Heronis, & Theodoretus l. 4. hist. Eccl. c. 19. 20 & Nicep. l. 11. c. 25. & 28 Atque in hoc postremo capite refert quam obscoena, foeda, nefanda & abominanda in throno Ecclesiae & sacro altari ab Arianis perpetrata sint.⁺

Er quemadmodum isti, quos diximus, ab Arianis, ita à Donatistis haereticis in Africa S. Maximianus vel Maximinianus in Basilica sub altari, quo confugerat, eodem supra se fracto, ejusque lignis aliisque fustibus, ferro etiam crudeliter caesus, totum illum locum (sacrum) sanguine opplevit, ut loquitur S. Augustinus lib. 3. contra Cresconium cap. 43. Qui eadem refert in Epistola 50. ad Bonifacium Comitem his verbis. *Supradictum (ait) Episcopum Vagiensem (Maximianum) stantem ad Altare irruentes horrendo impetu & furore crudeli, fustibus, & hujuscemodi telis, lignis denique ejusdem Altaris effractis immaniter ceciderunt; pugione etiam percusserunt in inguine, quo vulnere sanguis effluens eum exanimem redderet, nisi ei ad vitam major eorum saevitia profuisset, &c.* Insuper Optatus Milevitanus lib. 2.⁺ contra Parmenianum scribit, Diaconos Catholicos à Donatistis irruentibus in Ecclesiam, super altare occisos, idque praesentibus & jubentibus ipsorum Donatistarum Episcopis, qui Martyres celebrantur 9. Februarii in Romano Martyrologio sub nomine Primi & Donati.

Similia fecerunt Eutychiani haeretici, à quibus narrat Euagrius lib 2. cap 8. Hist. Eccl. & Nicephorus lib. 15. cap. 16 Sanctum Proterium in Ecclesia in baptisterio trucidatum, dilaniatum, & plusquam belluina⁺ feritate tractatum. Quod facinus, praesertim in loco sacro admissum, his verbis exaggerant Episcopi Aegypti in Epistola ad Imperatorem Leonem, quae recitatur ab Euagrio in dicto cap. 8. lib. 2. & Nice-

⁺*S. Maximianus à Donatistis fustibus telis, ferroque caesus in basilico, ipsoque altari gravissimè laeditur, affluente sanguine copioso.*

⁺*Sancti Martyres Primus & Donatus Diaconi intra Ecclesiam à Donatistis irruentibus occisi.*

⁺*S. Proterius Episcopus ab Eutychianis in Ecclesia in baptisterio trucidatur, discerpitur, laniatur. Ecce quontum scelus, in loco sacro trucidare Sacerdotes. Ut antiqui haeretici ita & nostri non reformidant sanguine & homicidiis profanare templum & locum sacrum.*

phoro cap. 17. libri 15. *Beatus Proterius (aiunt) nihil aliud facere poterat, quàm ut eorum qui ad necem illi inferendam accurrebant effugeret impetum, ad venerandum & sacrosanctum se reciperet baptisterium, quem locum maximè omnium etiam barbari & agrestes, qui venerationem & cultum ejus ignorant, violare extimescunt. At isti nec in incontaminato quidem illo templo Proterium salvum esse passi sunt, neque sanctimoniam aut religionem vel loci vel temporis reveriti (solennis enim dies Festus Paschatis tum celebrabatur) sed neque reformidantes Sacerdotii dignitatem, quae inter Deum & homines mediatrix est, innocentem occidunt, crudeliterque cum aliis sex è medio tollunt &c. Sic illi. Sed ad Historiam nostrorum Martyrum Cartusianorum revertamur.*

Caput VII.

De tormentis, conviciis & ludibriis, quibus D. Vincentium Sacristam pietate & vitae innocentia spectabilem homines barbari affecerunt, deque ipsius patientia; ac quibus tandem cruciatibus mutilatum, quoque genere mortis interemerunt.

⁺ FUNGEBATUR in Cartusia Ruraemundensi officio Custodis templi, quem Sacristam appellamus, D. Vincentius ab Herck, qui singularem crudelitatem, variaque tormenta & contumelias à nefariis hominibus istis pertulit. Nam detractus ab illis è testudine templi, ubi delitescerat, cognitur prodere res Ecclesiae, quibus sublatis, volebant eum abducere in castra Principis Orangiae. Sed dum eum in platea alii milites, istorum socii conspiciunt, illis invitis & repugnantibus rapiunt eum, & velut praedam ferè immanes per medium civitatis & per forum trahunt, usque ad alteram urbis portam, trudent, pungunt, illudunt, conviciantur, vulnera infligunt, & tanto furore in eum insaniunt, ut vix possent majori.

⁺*D. Vincentius Sacrista
quam immaniter per urbem
raptatus.*

Deinde nasum & ambas amputant aures, mentum in modum crucis findunt, & fodiunt, cutem in capite,⁺ nimirum à corona sursum versus abstrahunt, & nescio quid non malitię & nequitiae in miserum exercent.

⁺*Truncatur auribus naribusque.*

Inter hæc sibi vicissim succedentia supplicia, verbis contumeliosis ipsum proscindunt, & per ludibrium & irrisionem aiunt illi: *Concionare nobis Monache, imitatores scilicet eorum, qui Christo Domino illudebant dicentes; Prophetiza nobis, quis est qui te percussit?*⁺ Cujus quidem Christi exemplo & noster Vincentius seipsum vincens singulari patientiâ, cupiebat esse discipulus ejus Magistri, qui *cùm malediceretur non⁺ maledicebat, cum pateretur non comminabatur.* Respondebat autem mansuetè tractantibus se injustè: *Quid (inquiens) ego vobis concionabor qui non vultis respiscere? Ignoscat vobis Deus, equidem lubens ignosco. Sed jam quaeso, finem tandem his cruciamentis imponite.* Sic pius Vincentius: nolens vinci à malo, sed vincens in bono malum,⁺ desideravit imitari aliquo modo illum Magistrum suum qui crucifixus dicebat; *Pater dimitte illis, non⁺ enim sciunt quid faciunt;* & discipulum eum qui positus genibus *cùm lapidaretur orabat clamans voce magna: Domine ne statuas illis hoc peccatum.*

⁺*Matt. 26.*

⁺*I. Pet. 2.*

⁺*Rom. 12.*

⁺*Luc. 23.*

Tandem unus istorum perditorum militum qui reliquis⁺ clementior videbatur, volens breviori tormento longiores istos cruciatus terminare & concludere, displosit in eum sclopetum, ut in quodam scripto Monasterii reperi: quamquam ex eo necdum videtur occubuisse. Nam in illa Epistola, quam dixi Ruraemundâ ad Lovanienses scriptam de clade Civitatis Ruraemundanae (cujus copiam à R.D. Lindano Buscumducis missam à R.D. Decano Buscoducensi Gisberto *Coeverinx* accepi) in ea, inquam, Epistola continetur quod etiam confossus sit Vincentius, & adhuc spirans pertractus ad Minoritarum Franciscanorum coenobium, & ad portae introitum, quâ ad templum itur, semivivus suspensus fuerit.

⁺*Act. 7.*

Libet hîc ea ipsa verba attexere, quae in dicta Epistola de mirâ excarnificatione & illusionem, martyrioque⁺ hujus D. Vincentii ubique vincentis (ut mihi hoc dicto S. Augustini de Sanctissimo fortissimoque Martyre Levita Vincentio sic loquentis uti liceat) graphicè eleganterque scribuntur. *Venerabilem Patrem Sacristam singulari pietate atque rara vitae innocentia spectabilem Monasterio abripiunt, quem choralis serica chlamide indutum ludibrii causa nebulonum manipulus cingit: cappam illam choralem undique per omnia in speciem reverentiae sublevantes subsequebantur aliquot, Dalmaticis, alii Albis, alii sacris casulis vestiti. De Missali diras, nescio quas, porcino grunnitu grunnientes, irreligioseque Deum blasphemantes & Kyrie eleyson obgannientes. Alii pium virum longè trahunt, in itinere insultantes, pedibusque in eum illudentes, & calcibus ferociter pulsantes. Praeibat quidam Crucem Dominicam sublimi manu gestans, oculisque ejus, non tam reverenter illam ostentans, quam in os subinde crudeliter impingens. Alii colaphos sacro impingebant capiti, fessisque longo protractu humeris dira subinde crudeli laniena infligebant vulnera. Tot igitur mactatus vulneribus, tot dissectus plagis, media in platea (quae inferior dicitur è regione Elephantis) foelix Christo cadit hostia, quam ex furiosis illis unus stricto mediam perfodit gladio. Sed adhuc spirantem ad Minoritarum usque pertrahunt Monasterium, ubi ad portae introitum, quà ad templum iter est, de laqueo semivivum suspendunt.*

⁺B. Aug. sermon. 8. inter sermones 17. à Parisiensibus additos in fine tomi decimi.

Haec ibi. Sepultum autem corpus ejus fuisse dicitur à bonis Catholicis non procul à porta illa civitatis, quae nigra appellatur: eo enim usque à sceleratis raptum per urbem fuisse dicitur. Post tres autem annos plus minus Reverendissimus Episcopus Lindanus curavit cadaver exhumari, ac primum quidem in vicino coenobio Franciscanorum nocte asservari, deinde postero die cum solenni processione ad Cartusiam nostram transferri, ubi decenter, ut par erat, sepulturae traditum fuit.

Caput VIII.

De quibusdam Carthusianis, quorum aliquos elixos, alios igni assos fuisse quidam se vidisse affirmarunt; de quibus tamen vel nominibus eorum nihil certi habetur. Item quam contumeliosè in corpora quorundam, post mortem soevitum sit, deque sepultura eorum. Denique de Martyrio & crudeli atque impudenti mactatione R.D. Pauli, Sacellani Rev. Episcopi D. Lindani.

IN eadem Epistola Ruręmundana ad Lovanienses scripta, cujus aliquoties supra memini, etiam haec narrantur. *Sunt qui dicunt se vidisse duos Cartusianos ex iis quos Domus illa Ruraemundensis alebat, in cacabum ininjectos & elixos. Itemque tres verui infixos, assos igni fuisse.* De quibus tamen nobis in Monasterio nihil certi hactenus constare potuit, ut omnia tumultuariè fiebant, & quidem plurima extra Monasterium etiam clàm in diversis locis civitatis, nostris ignorantibus, aut etiam captis, vel diffugientibus, & in varia loca distractis.

Caererum hęc praetereundum silentio non est, quod jam extinctis Cartusianis, ne quid vel ignominiae vel etiam extremae crudelitati deesset, homines scelerati in ipsa quoque cadavera impiè & impudentissime grassati⁺ sunt. Et quorundam magis pinguium carnes truculenti carnifices exciderunt, adipemque evulserunt, & mutilatis membris corporis etiam pudendis (o rem nefandam!) amputatis, resectoque abdomine, pinguedinem istam chartae involutam, hastisque affixam circumferebant,⁺ per civitatem publicè & plateatim cum summa contumelia venalem proclamantes: Si quis abdomen Monachorum coëmere velit.

⁺*Ab crudele nefas, saevus quod Turca recuset.*

⁺*Vociferantur plateatim Werwolt Schmeer kauffen.*

Et haec quidem illi per ludibrium malitiosè perpetrarunt, relictis interim cadaveribus per integrum tri-

+ duum inhumatis, *spectaculum factis*, juxta D. Pauli vocem, *mundo, angelis & hominibus*. Deinde *corpora eorum in pace sepulta sunt*, licet non in eodem loco Monasterii, & *vivent nomina eorum in aeternum*. +1. Cor. 4.

+ Postmodum tamen ossa illorum collecta, & honorificè sublata, condigno honore in loco quodam subterraneo in choro ad latus dextrum summi altaris juxta parietem condita sunt: exceptis quibusdam capitibus & ossibus, quae alibi inventa & asservata sunt. Unde Illustrissimus Princeps D. Franciscus de Mendoza & Cardona Admirantius Aragoniae, Marchio de Guade &c. Aulae Regiae Catholicae & Serenissimi Archiducis Alberti Austriaci summus Praefectus, ac primarius Magister equitum, pro suâ singulari erga Reliquias Sanctorum devotione, aliqua sibi donari postulaverat, cum circa annum domini 1600. Catholici Regis exercitus, cui ipse summa cum potestate Dux & Capitaneus Generalis tunc temporis praerat, in Agro Ruraemundensi versaretur. +Eceles. 4.

Et quidem haec milites fecerunt haeticâ pravitate imbuti, atque in Cartusianos furore barbarico incensi. Hoc, inquam, modo perditum profligatumque homines in nostros debacchati, odioque Catholicae Fidei & Monasticae Professionis inflammati, tam crudeli⁺ eos morte affecerunt. Sed esto: *si coram hominibus tormenta passi sunt, spes Electorum immortalitate plena est. Visi quippe sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace*. +Sap. 3.

+ Porro per idem tempus, quo ita crudeliter in nostros saevitum est Cartusianos, erat in Cartusiâ Ruraemundensi D. PAULUS A WAELWYCK Sacellanus Reverendiss. Domini Wilhelmi Lindani Episcopi Ruraemundensis, felicitis recordationis, ab iisdem satellitibus propter Fidem Catholicam cum nostris pariter inhumanissimè tractatus, & crudeliter interemptus. Nam ut se ad mortem pro Christo oppetendam melius compararet & muniret, relictis aedibus Episcopi, ad Monasterium venerat, & sese nostris in templo adjunxerat; *En* +De D. Pauli Waelwyck Sacellani Episcopi Lindani, Martyrio.

(inquiens) *Adsum, ut vobiscum moriar.* Erat sane Vir ille rara eruditione & morum integritate praeditus: Concionator quoque egregius, ut qui publicis concionibus tum vitia acriter reprehendere, tum haeticorum impia commenta luculenter confutare consuevisset; nostrosque in hoc certamine & oratione & exemplo Martyrii subeundi inflammabat. Hunc viri illi, homines ab omni humanitate alieni, primum spoliant crumena suâ, mox pallium & pileum auferunt. Inde ex Ecclesia protractum, per Coenobium circumducunt, jactant in eum probra & convitia, multisque injuriis & contumeliis onerant. Denique contundunt & caedunt immaniter.

Ad extremum in Cartusiae pomarium raptum, tres aut quatuor profani milites insiliunt in Sacerdotem Dei, in capite vulnere imposito gravissimè sauciant, deinde prostratum humi non solùm ignitâ glande per medium trajiciunt, sed etiam ense confodiunt. Nec⁺ desunt qui dicant (prò dolor & horror) ab impuris illis nebulonibus illi viro pudico, vestibus omnibus spoliato, nudoque impudenter praecisa verenda, apertoque ventre cor evulsum atque intestina in os ejus congesta. Et quid non audet illa hominum fex & nebulonum colluvies? Quis audivit tantam barbariem? Quis hæc audiens vel legens, non affirmaret Turcas mitiores, honestioresque esse istis novis Euangelicis insania & furore percitis? O quae, & quàm gravia putamus homicidas istos manere, aut etiam nunc vita defunctos sustinere apud inferos supplicia? quod non exhorruerint extendere manus suas in Christum Domini, virum tam venerandum & spectabilem.

⁺*O horrendum atque impudens facinus!*

Absque dubio, *ignis, sulphur, & spiritus procellarum,*⁺ *pars calicis eorum,* nisi resipuerint, & dignos fecerint fructus poenitentiae. Quod verò Venerabilis ille Christi Sacerdos vir tantae virtutis & eruditionis, inter Confratres nostros tam crudeli morte immò Martyrio affectus fuerit, non id, meo quidem judicio, casu,

⁺*Psal. 10.*

+ sed singulari Dei providentiâ, qui *omnia in pondere & mensura disponit*, accidisse videtur. Videlicet ut obstruatur os illorum qui forsân dicturi aliquando fuissent: ^{+Sap. 11.} Utique oportuit Cartusianos prae caeteris fuisse peccatores, in quos tanta haereticorum rabies debacchata est. Ceterùm corpus Domini Pauli terrae conditum fuit, eodem in loco pomarii, ubi peremptus est. Cujus ossa post triennium effoderunt Cartusiani nostri, & honesto loco collocarunt. Quae postmodum Reverendissimus D. Lindanus Episcopus solemnî pompa & celebri supplicatione comitante ad Cathedralem Ecclesiam Sancti Spiritûs honorificè transtulit, & parieti inclusit, cum Epitaphio ejusmodi.

EPITAPHIUM à R. D WILHELMO DAMASI LINDANO, suo Sacellano positum.

Venerabili Domino Paulo Gerardi à Waelwyck Sacerdoti Christi, & R.D. Wilhelmi Damasi Lindani Sacellano, eximioque Concionatori, ac zeloso Apostolicae doctrinae propugnatori, captâ à Geusis Civitate, telis impiorum pro Catholica Religione fortiter cadenti, & palmâ Martyrii coronato, moestissimus ponebat W.D.L. An. 1572. die Julii 23.

Caput IX.

Quomodo D. Vicarius, post quam aliquamdiu delitisset, deprehensus, post multa pericula & varias necis minas intentatas, extorta ad sui redemptionem pecuniae promissione, tandem fugâ elapsus sit. Et postremò de Ven. Priore, quibus modis vexatus, & injuriis vulneribusque affectus, grandi vi pecuniae sese redimere coactus.

SUPEREST, ut de Ven. P. Priore, & eo qui vices Prioris gerit, quem Vicarium appellamus, quid &

quomodo actum sit, dicamus. Igitur dum haec ita geruntur quae supra commemoravimus, Vicarius Cartusiae Ruraemundensis Dominus Joannes Voeren, aliquamdiu⁺ latuit in tabulato quodam secus puteum in ambitu Monasterii constructum, cogitabundus & haesitans, quidnam facturus ipse, aut de se futurum esset.

⁺*D. Joannes Voeren Vicarius
Domus quomodo evaserit.*

Et certè timendum erat, ne eum furiosi homines ibidem repertum, in cisternam præcipitassent. Delituit autem sic ibidem usque in vesperam istius diei. Tum descendit ultrò, coepitque pergere, ut fugâ sibi consuleret; nesciensque quo se conferret, inventus est oberrans in horto cujusdam civis vicini, spoliatusque vestibus, primùm dimissus, deinde ab aliis intercipitur. A quibus aliquamdiu detentus, post multa pericula & varias necis minas intentatas, tandem vita donatus dum promittit ducentos daleros, quos à paupere & invito Monacho avarus miles extorquebat. Cumque molestus esset & valdè importunus in exolvenda pecunia, quamvis dato fide-jussore, mortemque saepius ipsi, nî statim sibi curaret satisfaciendum, minaretur: ille oblata aliquâ opportunitate elabendi, subduxit sese; initaque fugâ salvus & gaudens pervenit ad Cartusiam nostram Cantaviensem, propè Juliacum sitam. Sed quia alius quidam pro illo fide-jusserat: ut pecunia promissa, vel potius vi extorta persolveretur, operam dedit.

Restat postremò, ut quid & quomodo cum Ven. Patre⁺ D. Joachimo Priore illius domus, cujus in principio hujus Historiae mentio facta est, hostes Religionis nostrae egerint, exponam; ut sicut à capite hujus Cartusiae exorsus sum, ita in eodem hanc narrationem finiam atque concludam. Hunc ergo Venerandum Patrem, cujus insignis erat in Deum pietas, variis & indignis modis tentant & exagitant. Nam isti qui se Euangelicos dictitant, cùm non de Euangelii professione nos inquirant, sed de pecuniis, nihilque aliud ad primum congressum quam thesauros pervestigarint, ac post multas altercationes, minas, & excarnifica-

⁺*De V.P. Priore D.
Joachimo, quibus modis
vexatus, & pecuniâ
redemptus sit.*

tiones didicissent, Monachos non habere peculium, nec licere ipsis pecunias administrare, sed Priorem esse bonorum omnium temporalium dispensatorem. Hunc igitur certatim aggrediuntur, examinant, marsupium de zona, priusquam ille dissolvere posset, dirumpunt, ad Cellam ipsum deducunt, ut eis pecuniam omnem traderet.

+ Ubi cum distribueret illis nummos quotquot poterat & habebat, assistens unus pestifer, non contentus sua portione, nisus est exonerato sclopeto virum innoxium de medio tollere. Plures viderunt postmodum oculis suis laceram ejus vestem, in quam sclopetum fuerat displosum: sed globulus, veste nonnihil circa pectus discerptâ, non sine miraculo in brachii quandam partem resiliit, & leviter sauciavit. Post haec exuentes eum, si fortè in vestibus absconditos nummos circumferret, frustra scrutantur & explorant; servantesque tunicam ipsius cum cucullo, his exutum, capite nudo, dextraque alligatum propria zona trahunt post se captivum, haud aliter, quam si videas bovem trahi ad mortem, aut ovem immolandam duci ad victimam.

+ *Quidam suum in eum exonerat sclopetum, non tamen interficit.*

+ Fuit vir ille pius & venerandus ab eis aliquot hebdomadibus dirâ captivitate detentus, & tandem mulctatus ingenti pecuniae summâ, videlicet bis mille coronatis. Neque his satiati, paulò pòst ita crudeliter manus lictores colligarunt & constrinxerunt, ut quicquid esset reliquum pecuniae alicubi reconditae extorserint homines, quos auri impia fames ad istam belluinam crudelitatem impellebat. Ob quam causam etiam ipsa Altaria suffoderunt, si quae ornamenta fortè recondita essent; non contenti servos Dei occidisse, aut verberibus contumeliisque vexatos pessimè tractasse.

+ *Duo persolvit millia coronatorum, redimiarum loco.*

+ Postremò optimus ac religiosissimus Pater dimissus ex castris Coloniam devenit: ibique post dies non multos, tot damnis, incommodis, injuriisque affectus, atque ex tantis periculis mortis impendentis perturbatus, animique moerore ex tanta clade confectus contabescens; maximè quod jam grandaevus esset, animam

+ *Dimissus è captivitate, Coloniam venit, ibique post dies non multos fatis concedit.*

Christo reddidit, atque in Cartusia Coloniensi sepultus est. Miserrimè autem Cartusia illa Ruraemundensis à praedonibus illis & aliis pessimis hominibus vastata, direpta, expilataque fuit; librique complures in Ecclesia & Bibliotheca communi lacerati, nec non sedilia quaedam in choro & nonnulla alia in Ecclesia confracta.

Conclusio historiae.

Atque haec est Historia (ut ab aliis accepi) rei gestae, caedisque sive Martyrii & gravis persecutionis nostrorum Cartusianorum Ruraemundensium: quorum duodecim diversis tormentis excruciat, crudeli morte occubuerunt. His decimus tertius adjunctus est D. Paulus à *Waelwyck* Sacellanus R. Episcopi Lindani: qui cum praedictis Cartusianis Martyrii palmam, sanguine fuso, consecutus est. Sacer iste numerus, & duodecim Apostolorum memoria celebris, quibus tertio-decimo loco Christus Dominus Magister & author tantae gratiae & constantiae martyrii in isto certamine adfuit & praefuit, robur addens suis Martyribus coronamque singulorum capitibus imponens: & dictus Sacellanus D. Paulus ejusdem Christi verus Sacerdos accessit, decimum-tertium numerum perficiens, eâdem martyrii laureâ donatus & redimîtus ab eodem Christo, cui se victimam in holocaustum & Sacrificium obtulit.

Ceteri verò Cartusiani septem numero, necem quidem evaserunt, sed *ludubria & verbera experti, insuper⁺ tentati & vulnerati*, variisque modis exagitati & vexati fuerunt propter Fidem, & professionem vitae & disciplinae Monasticae. Praeter ^{+Heb. 11.} hos aliquot laïci partim bonorum hominum precibus liberati sunt, partim fugâ elapsi, sicut & quosdam Sacerdotes & Monachos supra diximus fugâ evasisse. Scriptum est enim: *Cùm⁺ persequentur vos in civitate istâ fugite in aliam*. Quod & B. Athanasium fecisse novimus, edita etiam in sui defensionem insigni Apologiâ de fugâ suâ.

^{+Matth. 10-} B. Athanasius in *Apologia de fugâ*.

Caput X.

Breve Compendium Martyrii supradicti, loco Epilogi, extractum ex scriptis D. Joannis Voeren, Vicarii; qui huic cladi superfuit, & aliquamdiu supervixit. In quo recensentur breviter nomina & Martyria Cartusianorum Domus Ruraemundensis: non quidem juxta ordinem temporis, quo in Superioribus Capitibus describuntur successive suppliciiis contumeliisque affecti: sed juxta ordinem Professionis vel Officii, secundum quod locum quisque in Conventu habuit, incipiendo à V. Priore & Monachis senioribus, ac sic deinceps usque ad Fratres Laicos.

LIBet hîc loco Epilogi subjicere compendium quoddam Martyrii & persecutionis prædictae, collectum ex scriptis, quae D. Joannes Voeren Vicarius dictae Domûs post se reliquit: quorum aliqua ille oculatus testis vidit, & in seipso expertus est, inhumaniter à ferocibus militibus tractatus; quaedam ut tunc recenter facta erant, nec tamen perfectè omnia cognita, ab aliis accepi, quibus nonnulla adjicere placuit, paucis immutatis.

Anno itaque 1572. postridie B. Marię Magdalenae quae fuit dies 23. Julii, quando Principis Orangiae, sive Auraici exercitus Ruraemundam invasit, Cartusia nostra particeps communis cladis, magnum damnum accepit, non solùm in rebus temporalibus, sed maximè in personis Ordinis, hoc est in crudeli trucidatione & mactatione Monachorum & Fratrum Laicorum. Quamvis Deus hanc jacturam majori lucro, utpotè insigni dono & beneficio gratiaque Martyrii, ut piè credimus, compensavit. Florebat tunc temporis utcunque Domus Ruraemundana, & temporali-

bus subsidiis, & personis idoneis optimè instructa; quarum quindecim erant Monachi Professi Domûs, & unus hospes, professus Domus Confluentinae, octo verò Fratres Laïci. De quibus singulis breviter agetur.

Primum locum tenebat Venerabilis Pater Prior, D. Joachimus, qui in tumultu illo captus & variè exagitatus, multaque pecuniae vi redemptus, Coloniam veniens non diu supervixit, ibique sepultus est.

Secunda persona Domûs, repraesentans Priorem, erat Vicarius nomine D. Joannes *Voeren*, is captus & fugâ liberatus post pericula & minas necis quam plurimas, superfuit usque ad annum Domini 1579.

Tertio loco erat D. Wilhelmus *Wellen* senior Domus, is captus & post dira verbera & contumelias graviter vulneratus evasit mortem, veniensque ad Cartusiam Cantaviensem juxta oppidum Juliacense sitam, ibidem post unum exactum annum, diem clausit extremum.

Quartò, D. Matthias Coloniensis, Vir senio confectus, in cella vel limine cellae à militibus interemptus est.

Quintò, D. Erasmus Trajectensis, dum properat ad Ecclesiam, scipione nixus, confossus crudeliter interiit.

Sextò, D. Joannes Trajectensis captus, & pecunia relaxatus venit Coloniam, vulneratus in brachio, & graviter in capite bipenni laesus.

Septimò, D. Vincentius ab Herck, Sacrista à feris militibus, cum multis clamoribus & subsannationibus, contumeliis & vulneribus acceptis per medium oppidum, usque ad alteram ferè portam civitatis raptus, nec procul inde vitâ privatus, partim scopeto trajectus, partim gladio vel laqueo interemptus est, sed à bonis catholicis civibus sepultus.

Octavò, D. Joannes Leodiensis in choro interfectus est, trajectus globo plumbeo ignito, & capite transosso, contusoque cerebro.

Nonò, D. Wilhelmus *Wellen*, Procurator, in choro graviter laesus, vibratâ in capite bipenni, at post eductus ad portam Monasterii in platea disploso sclopeto occubuit.

Decimò, D. Leonardus Leodiensis satis mirabiliter erupit, non tamen sine vulneribus, convitiis & torturis.

Undecimò, D. Severus hospes, professus Domûs Confluentinae occisus est, accepto gravi vulnere in choro Laïcorum, ante Altare B. Mariae Virginis, effuso tam copioso sanguine, ut vicinum parietem in altitudinem octodecim pedum resperserit: cujus rei vestigia etiamnum in eodem pariete cernuntur. Cadaver ejus miserè tractatum, postero die in culina repertum est: ut dubium sit, utrum in Ecclesia loco praedicto occubuerit; an verò in culina pluribus vulneribus confectus, spiritum Deo reddiderit.

Duodecimò, D. Joannes *Lewis* in choro Monachorum interfectus est, humero confracto, bipenni, deinde pugione in corde transfixus.

Tertio-decimò, D. Joannes *Asz* post verbera, irrisiones & vulnera inflictâ, tandem à benigno quodam milite eductus & praeservatus, mulctatusque pecuniâ, dimissus est, & postea supervixit usque ad annum Domini 1579.

Quarto-decimo, D. Nicolaus *Gangelt* Diaconus, mutatis vestibus, à quibusdam eductus captusque non sine vulneribus, tandem pecuniâ redemptus est.

Quinto-decimò, D. Henricus *Wellen* Diaconus, in choro Monachorum primus omnium occisus est, ante summum Altare pugione confossus.

Sexto-decimò, D. Joannes *Gressenich* Diaconus, quamvis horrendum in modum in dorso usque ad pulmonem transfossus, nihilominus ipse aeger valde aegrè devenit in oppidum Maseyck, & ibidem sub curâ medici seu chirurgi deficiens mortuus est, atque in Monasterio Cruciferorum sepultus.

Hactenus de Monachis Carthusiae Ruraemundensis tam Sacerdotibus quàm Diaconis, quorum novem occisi sunt. Septem autem, acceptis vulneribus & contumeliis, vitâ servatâ, pecuniâ redempti. Et nota, quod illo nomine *bipennis*, quod nomen saepius usurpatum invenitur in Scriptis à nobis repertis, fortè significantur ancipites illi gladii oblongiores, utrâque manu capulares, quos Germani *Schlach-schwerden* dicimus, latinè romphaeam.

Nunc de Laïcis Fratribus Conversis ac Donatis dicamus: quorum tres fuerunt interfecti, atque sic numerus duodenarius, ut ante dictum est, Martyrio nostrorum consecratus est.

Primo loco Frater Aegidius *Gressenich* Conversus captus est, sed quorundam bonorum hominum intercessione & precibus ereptus.

Secundo Frater Stephanus Janitor in ipso primo furore, apertâ portâ Monasterii, traditisque clavibus, immaniter & atrociter mactatus est.

Tertiò Frater Albertus, coquus longa aegritudine debilitatus, in lecto decumbens trucidatur: alii dicunt è lecto tractum, & ante cellam interemptum esse.

Quartò Frater Joannes *Sittardt* pistor, sub fascibus lignorum inventus, tandem etiam interfectus est.

Supererant adhuc quatuor alii Fratres Laïci; quorum duo, videlicet, Frater Petrus & F. Hermannus fugâ sibi consuluerant. Duo alii verò, scilicet F. Daniel & F. Simon, non erant praesentes, alibi fortè fortunâ vel divinâ providentiâ occupati.


Atque hi omnes fuerunt Ordinis nostri Cartusianis, quorum duodecim ut dictum est, mortis supplicio affecti sunt. His accessit decimo-tertio loco D. Paulus à *Waelwyck*, qui Reverendissimo Episcopo Lindano à sacris erat, cum nostris truculenter peremptus, & insignitus Martyrio. Reliqui ex nostris Cartusianis, nimirum Sacerdotes sex, & Diaconus unus, ut ex praecedentibus constat, inflictis vulneribus, & convitiis

onerati, pecuniaque redempti, vitam conservarunt, cùm aliquot laïcis Fratribus, qui fuga elapsi sunt, aut quorundam opera ex impiorum manibus erepti.

Aberant tunc temporis à Conventu tres Sacerdotes ejusdem Domus, qui in aliis Domibus Ordinis commorabantur, videlicet D. Godefridus *Sittardt*, D. Joannes *Pipeller* & D. Henricus *Kercken*, quem solum superstitem vidi anno 1601. in Domo Ruraemundana cum uno Fratre Petro Donato (quem tamen nunc quoque defunctum intelligo) eratque senior Domûs ac multo tempore Sacristae fungebatur officio, bonus & pius senex, qui infelicem se aestimare potest, atque adeò meritò deplorare partim infelicitatem suam, quod eum Deus eâdem gratiâ cum suis Fratribus dignatus non est, partim miserum statum in quo hactenus Domus illa fuit, tot cladibus etiam postmodum attrita, & multa damna atque incommoda tam in spiritualibus quam temporalibus perpessa. Sed nunc demum respirare, & emergere caepit, industria Vener. P. Jodoci, moderni PRIORIS.

Occisis itaque hoc modo Monachis & Fratribus: superstilibus verò aliis hinc inde dispersis, patuit Domus & Cartusia Ruraemundana raptoribus, furibus, grassatoribus, qui inverecundè & furiosè irruerunt in haereditatem Domini, ut nihil integrum relinquerent, exceptis solis muris, à quibus etiam omnes canales plumbei sublatis sunt, omniaque in cellis Monachorum & officinis Fratrum devastata ac direpta.

Finis Historicae Relationis XII. Martyrum Ruraemundensium.



Exhortatio

Rev. Adm. P. Arnoldi Havensii ad Carthusianos, cùm omnes, tùm praesertim Domus Ruraemundanae, cujus praedicti Martyres alumni & professi fuerunt; de observantia Disciplinae Regularis, & praecipuè Solitudinis, Commendatioque & laus Vitae Solitariae Cartusienis.

Prooemium.

Quandoquidem praedicti Martyres fuère Professione CARTHUSIANI, hoc est vitam solitariam juxta formam & rationem Ordinis Carthusiensis, professi: eamque sic coluerunt in Domo Ruraemundensi cum observantia disciplinae Ordinis, quod benignissimus Dominus JESUS tanta eos gratiâ cumulavit, ut ad palmam Martyrii provexerit: & quos forte humana fragilitas remissiores negligentioresque reddiderat, vel macula aliqua asperserat, falce Passionis purgatos, ex hac vita variis obnoxia miseriis & imperfectionibus per breves dolores & perpassiones, ad beatam & immortalem in coelis vitam gloriamque transtulerit. Libuit hic ad finem historicae hujus Relationis EXHORTATIONEM quandam adjicere, què me-ipsum inprimis, deinde alios ejusdem mecum Cartusianae familiae Fratres; praesertim verò Domûs Ruraemundanae (cujus equidem praefati isti Martyres alumni fuère) excitarem ad observantiam disciplinae regularis, & praesertim Solitudinis: quippe quae & Instituto nostro propria est, & rebus omnibus aliis anteponenda. Maximè cum in ea perfectio, omnisque spiritualis profectus, qualis in homine Cartusiano requiritur, sita posttaque sit.

EIA nunc vos appello, Patres ac Fratres charissimi, qui huic Cartusiensi Ordini nomen dedistis, & per solemnem professionem vos consecratis. Praesertim qui hujus Cartusiae Ruraemundensis Alumni estis, convertite oculos mentis in hos Patres ac Confratres vestros. Respicite sanguine madentes atque respersos. Videte duces vestros & antesignanos, eorumque constantiam in Fide & Religionis suae professione considerate. Quorundam etiam singularem pietatem & vitae sanctitatem ob oculos ponite, & imitari mecum studete. Neque enim ad tantam gratiam Martyrii nisi aliquo modo piis sanctisque professionis nostrae exercitationibus & virtutibus instructi & comparati, singulari Dei benevolentia pervenerunt. Et si quae labes vel macula imperfectionis & fragilitatis humanę illos aspersionem applicatus, eluit atque abstersit.⁺ Sicut de Beato Cypriano scribit D. Augustinus, quod tanquam sarmentum fructuosissimum, si quid in eo fuerit emendandum, id Pater & agricola coelestis Passionis falce perpurgaverit. Aspiciate ipsos parietes templi, cruore Confratrum vestrorum tinctos. Videte locum ante summum altare, ibique Fratres vestros in terram prostratos & provolutos, orationibusque deditos tanquam victimas mactatos. Intuemini & ossa eorum & capita, in quibus vestigia adhuc vulnerum, & veluti cicatrices conspiciuntur.

⁺*Aug. Epist. 48. ad Vincentium.*

Atque excitent nos ista ad omnem observantiam disciplinae, quam cum eisdem professi sumus; offerentes nos promptos & paratos etiam sanguinem fundere, si forte opus esset, aut necessitas postularet, nec ad latum unguem à sancta vocatione & professione nostra, pro qua illi trucidati aut tam gravia passi sunt, discedamus. Praecessit eos olim, etsi non eodem persecutionis genere, aut gloria Martyrii, tamen vitae san-

ctitate admirabilis ille D. DIONYSIUS RICKELIUS, ejusdem Domûs professor, ingenio, eruditione, pietate, virtutibus, multisque libris editis toti Orbi ecclerimus. Cujus virtutum exemplis, & praeclaris disciplinae institutis & praeceptis imbutos confratres nostros Deus tantâ dignatus est gratiâ ac beneficio, ut Martyrii gloriam adipiscerentur.

Porrò vocationis nostrae ratio, perfectioque nostrae⁺ religionis in eo potissimùm sita est, ut in Cellae solitudine & silentio, rerumque spiritualium meditatione, ac coelestium contemplatione soli Deo vacemus; ideoque ab externarum rerum occupationibus, atque ab hominum profanorum consuetudine alieni, quodammodo abhorreamus. Habet quaelibet Religio quae suo Instituto propria sunt; in quibus quo aliquis magis excelluerit, eo melior sanctiorque evadit, & ad majoris perfectionis gradum ascendit.

⁺*Ratio propria vocationis & professionis Cartusianae.*

Nostrae autem Professioni maximè propria sunt solitudo,⁺ silentium, meditatio, contemplatio, oratio, elongatio ab hominibus. In istis consistit Institutio Ordinis nostri, haec professio vitæ nostrae, cui quo magis quispiam addictus fuerit, vel quò magis solitudine spiritualibusque exercitiis afficitur & delectatur, atque ab externis rebus, hominibusque elongatior & alienior est, eò perfectior sanctiorque aestimari debet, aut futurus speratur. Nam alia officia quae in Ordine etiam exercentur, quæque rerum temporalium administrationem, hominumque familiaritatem & consuetudinem postulant, minora abjectioraque sunt, atque ad illa quae in Ordine majora praestantioraque existunt, referuntur, eisque deserviunt & velut famulantur.

⁺*Solitudo ac silentium Cartusiano quàm maximè & conveniunt.*

Proindè sancti olim Patres nostri, atque etiam hoc tempore multi, qui in virtute & vitae sanctitate majorem⁺ accessionem fecerunt, aut facere desiderant, conati semper sunt, & conantur se subducere ab ejusmodi officiis, & praetulerunt cum B. Maria Magdalena ad pedes JESU sedere (quippe quae teste & iudice Christo

⁺*Exempla hujus propriae rationis Professionis nostrae. Lucae 10.*

⁺ optimam partem elegit) & dulcedine perfrui contemplationis, quam cum Marthâ externa ministeria obire & turbari circa plurima.

Sic accepimus plerosque Reverendos Patres, qui toti Ordini praesidebant, ultro se abdicasse tanto munere & magistratu gubernandi Ordinem; Nonnullos etiam Episcopatus oblatos recusasse, pertaesos nimirum externorum negotiorum gerendorum, occupationumque ac distractionum, quas ejusmodi functiones requirunt: aut solitudinis desiderio accensos, invitos & coactos Ecclesias administrandas suscepisse quidem: sed rursus post tempus aliquod rejecisse à se, atque ad amicam solitudinem rediisse. Novimus & alios quosdam Patres Ordinis nostri fuisse, qui ad Prioratum alicujus Domûs vel Officium Procuratoris vocati, refugerint & refutaverint ejusmodi munera, cellaeque solitudinem praetulerint: neque potuisse nisi coactos virtute obedientiae ad ea obeunda admoveri. Neque etiam nostris temporibus defuerunt, nec etiamnum desunt, qui ita solitudine & Cellâ delectabantur, & adhuc modò afficiuntur, ut Prioratum & similia officia occupationesque rerum externarum subterfugere & repudiare conati sint, solitudinemque anteposuerint; neque potuerint induci ad illa gerenda, nisi à Majoribus suis ad hoc compellerentur.

Atque iste verus est spiritus Ordinis nostri, abhorrere⁺ ab officiis, eligere cellam & quietem, amare secretum, & solitudine oblectari. Et sanè equidem nè dignum quidem nomine Cartusiano judico, qui non quodammodo invitus & spiritu repugnante, salvâ obedientiâ ex Cellâ extruditur, & quasi expellitur ad externum aliquod officium administrandum; vel qui taedio affectus solitudinis Cellae, ad Marthae officium resque externas gerendas aspirat. Notat D. Bernardus Ser. 3. de Assumpt. B. Mariae, non conqueri Magdalenam⁺ de Martha; sed hanc potius de illa: non enim ista hujus occupationes desiderat. Verùm haec potius

⁺Constat hoc ex capite ultimo lib. 4. NOTARVM ad Chronicon Pet. Dorlandi, an. 1608. Coloniae impressum.

⁺Quis verus & proprius spiritus Ordinis Cart.

⁺Luca 10,

illi quodammodo, ut mihi ita loqui liceat, invidere videtur, & ad eam anhelare. *Absit, absit* (ait Bernardus) *ut qui Deo vacat, ad tumultuosam aspiret Fratrum officialium vitam. Martha semper insufficiens sibi, & minus idonea videatur, aliisque magis id operis quod administrat, optet imponi.* Sic D. Bernardus, significans Officiales semper aspirare debere ad quietem & vitam contemplativam Mariae: non autem eos qui ad pedes Jesu sedent in cella, & contemplationi vacant, officium Marthae affectare oportere.

Quantò magis talis affectus requiritur in Ordine nostro Cartusiensi, qui magis solitudinem profitetur ex sua Institutione. Itaque, ut dixi, hic est verus Ordinis nostri spiritus, amare nimirum quietem & cellam, abhorrere ab officio: conqueri de Magdalena, quod non liceat illius consecrari quietem, non autem de Martha murmurare; propterea scilicet, quod non concedatur illius perfungi munere, vel cum Marthâ satagere & occupari circa frequens ministerium. Verus, inquam, spiritus est Ordinis sic Professionis nostrae, dolere si quis extrahatur ex cella, & ad officium rapiatur, ac tristari si quietem intermittere cogatur; nec placere sibi vel gratulari in Officio: sed magis sibi displicere, & se infelicem judicare: gaudere verò si rursus absolvatur, & ad cellam remittatur, habens hoc ipsum loco magni beneficii. Alienum autem est à spiritu nostrae professionis, laetari & applaudere sibi de Officio, & tristitiâ affici, vel quod gravius est, conqueri & inquietum esse, si beneficium obtineat absolutionis & ad cellam relegetur: hoc est, ut nos in Ordine dicere solemus, si misericordia (quae verè est) ipsi fiat.

Quamobrem mirarer equidem, si, ut in plerisque aliis Ordinibus, quibus ut non est ea solitudinis professio, sic facilius ignosci possit. Si, inquam, ita etiam in nostro Ordine quorundam esset ea stoliditas, ut sibi gratulentur de nomine & Officio Prioris

aut Procuratoris; unde veri Cartusiani dolent & contristantur, seque infelices potius aestimant si talia officia cogantur sustinere. Quanta vero stultitia esset gaudere & placere sibi de clavibus gestandis, & portandis loculis, nec attendere vilissimum illud officium, vilissimo inter Apostolos Judae soli fuisse commissum? De quo legitur quod *loculos habebat, & ea quae mittebantur⁺ portabat*. Quod attendens verè sanctus ille Dominus Wilhelmus Mewe, unus ex Martyribus Anglicanis Cartusiae Londinensis, cum munere Procuratoris fungi cogeretur, quasi à Deo reprobatus esset, dicere solebat cum lacrymis: *Timere se ideò ad Officium Judae obeundum institutum esse, ne fortè cum Juda tandem damnaretur*. Quae igitur insipientia, hujusmodi Officium desiderare, aut putare se aliquid esse, si ut Procuratores, aut quod minus est Coquinarii (sic enim vocant, quos alii coadjutores Procuratoris appellant) salutentur in foro, atque à rusticis compellentur & honorentur, atque ejusmodi stultitiis delectari sibi appaude? propter quas à plerisque iridentur, quasque res tanquam nugas viri graves & divino spiritu illustrati contemnunt.

⁺Joan. 12. & 13. De hoc Wilhelmo Patre in Historia Anglicana cap. 8.

⁺ Sed quid? *stultitia est gaudium stulto*, ut verè dixit Sapiens: *vir autem prudens dirigit gressus suos*; & Philosophus spernit atque ridet hujusmodi. Et sanè vana ista sunt omnia & indigna, vel certè inferiora Professione Cartusianâ; nisi ex necessitate quadam & virtute obedientiæ suscipiantur & tolerantur, ac nisi amor & studium solitudinis atque devotionis cum istis ministeriis conjunctum sit. Apage hinc igitur & facessat longèque à nobis absit ista stultitia, Fratres mei; non ducat nos spiritus ille vanus & alienus à nostrâ Professione, ad res vanas & alienas à nostro Instituto tractandas: sed potius ducat nos ille spiritus verus Ordinis in omnem veritatem viamque perfectionis, qui Patres nostros afflavit.

⁺Prov. 15.

Ille, inquam, spiritus nos ducat & dirigat, à quo Christus ductus est in desertum, & à quo nostri Con-

fratres, de quibus supra, per observantiam disciplinae Ordinis & solitudinis, ad palmam Martyrii perducti sunt: nam solitudo est praecipua Ordinis nostri professio, & non solum nos Deo magis conjungit abstractos à rebus terrenis, sed etiam apud homines majorem auctoritatem conciliat. Adeo ut etiam ii qui in officiis ac ministeriis publicis versantur, quò magis solitudinem colunt, & rarius in publicum prodeunt, vel ab externis conspiciuntur, eò majorem de se admirationem, existimationem, vitaeque sanctioris opinionem excitent; & cùm eos exire aut videri ab aliis contigerit, tanquam Angelos quosdam terrestres è Cellâ velut è coelo missos in mundum, sic eos passim omnes suspiciant & venerentur.

Hanc igitur solitudinem nobis, quemadmodum dixi, & vocationi nostrae propriam, hanc, inquam, sororem nostram charissimam, hanc sponsam⁺ nostram tanquam Rachelem decorâ facie & venusto aspectu, sicut Jacob & veri supplantatores vitiorum⁺ diligamus. Hujus amorem reliquis omnibus praeferamus, hujus dulcissimis & jucundissimis amplexibus stringamur & perfruamur, & caetera omnia quae gravia & aspera in Ordine videntur vel amara, hac farinulâ dulcorabuntur, leviaque & jucunda erunt prae illius amoris magnitudine.

⁺Genesis 29.

⁺Gregor. lib. 6. moral, c. 28.
& hom. 14 in Ezechielem.

Sunt enim alia quidem multa, quae etiam Professio nostra requirit; sunt nocturnæ Vigiliae prolixae, sunt assidua jejunia, sunt abstinentiae frequentes, hispida cilicia, durae cubationes, aliaeque id genus asperitates. Sed haec leviora redduntur, per studium contemplationis, devotionis & caetera solitudinis exercitia; cui propterea colendae & servandae imprimis operam dare debemus; in quâ, ut dixi, propria ratio Professionis nostrae consistit.

Huc accedit dignitas & praestantia Vitae solitariae;⁺ vitae, inquam, verè Angelicae atque coelestis, quae nos ad ejus amorem, cultum, & observantiam movere

⁺Dignitas ac praestantia.
Vitae solitariae.

debet. Coelestia sunt, divina sunt, eterna sunt, quæ Monachus in cellâ pertractat.: quae verò officiales exercent, terrena, caduca, abjecta, vilia, sordida. Ista Theoria est, & contemplativa Vita dicitur, quæ in cellâ ducitur. Haec Officialium vita activa est, circa proximum & res externas versatur. Illa verò circa Deum & res internas & spirituales, hoc est circa nobilium ac praestantius objectum, idque nobiliori certiorique modo, ac magis directè & immediatè occupatur.

Nam ut eleganter loquitur D. Gregorius Hom. 14.⁺ super Ezechielem: *Operatio vitae contemplativae est ab omni exteriori actione quiescere, soli desiderio Creatoris inhaerere, ut nihil jam agere debeat, sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem creatoris sui animus inardescat: ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum moerore portare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis Angelorum choris interesse, admisceri coelestibus civibus, de aeterna in conspectu Dei incorruptione gaudere.* Sic Gregorius. Unde Vita quæ in solitudine & contemplatione agitur, quasi beata vita est, quam Deus Optimus Maximus, beatique spiritus in coelis degunt; quamque nos expectamus, & aliquando consecuturos in aeternum speramus.

⁺B. Gregor. Hom. 14. in Ezechielem.

⁺ Illius enim figuram & similitudinem gerit, uti pulchrè Augustinus docet, dum ostendit in duabus istis sanctis feminis Martha & Magdalena duas Vitas esse figuratas; praesentem & futuram, laboriosam & quietam aerumnosam & beatam, temporalem & aeternam, propter affinitatem illam & similitudinem, quam vita quidem activa Officialium cum vitâ istâ praesenti, miserâ, laboriosâ & aerumnosâ altera verò contemplativa in cellis, cum vitâ illâ beatâ & aeternâ in coelis habet. Deinde ad hanc dignitatem & praestantiam vitae solitariae pertinet quoque illa interna dulcedo, quâ afflantur, reficiuntur ac veluti inebrantur, qui abstracti à rebus & occupationibus externis, liberius possunt studio rerum divinarum coelestiumque operam dare. Quae sanè dulcedo, est quaedam praelibatio & praegustatio aeternae illius felici-

⁺D. August. Serm. 27. de Verbis Domini.

citatis, qualis hic incipit in viâ, & postea perficitur in patriâ. De qua dulcedine ita scribit B. Gregorius prædictâ Homiliâ in Ezechielem: *Contemplativa Vita*⁺ (ait) *amabilis valdè dulcedo est, quae super semetipsam animam rapit, coelestia aperit, terrena autem debere esse contemptui ostendit.* ^{+D Greg. ut supra.}

Caeterùm quod etiam ad persuadendum non parum momenti habet, considerandus est quoque multiplex fructus atque utilitas, quae ex observantiâ solitudinis non solum ad singulos in particulari redit, ad proprium profectum & perfectionem spiritualem: sed etiam in alios atque in ipsam Ecclesiam redundat. Non enim istam sine negotio ociosam, inanem, atque infructuosam solitudinem, ab omni curâ & occupatione vacuam intelligo: sed quae quò magis libera est, & immunis ab externis & temporalibus negotiis, & ab hominum frequentia segregata, eò magis hominem abstractum ab his rebus inferioribus rapit in Deum per studium Orationis, ac Meditationis rerum spiritualium, contemplationisque coelestium atque divinorum.

Tales fuerunt Majores nostri, qui prima fundamenta Religionis Cartusiensis jecerunt, & certis Institutis, atque Ordinationibus eandem munierunt. Nam veluti mundo mortui, semotique penitus à soecularium hominum familiaritate, in eremo vitam coelestem, & Angelis proximam agebant. Neque hoc modo tantum in se-ipsis mirificè in spiritu proficiebant: sed etiam proximis suis, atque universae Ecclesiae utilem operam praestabant.

Imò tantò utiliores erant Ecclesiae, & animabus proximorum juvandis, quo magis à terra per solitudinem avulsi & elongati, ac veluti in coelum rapti, sicut Angeli quidam ante thronum Dei consistentes, ferventius die ac nocte causam Ecclesiae agere, pro ejusque necessitate ac salute proximorum Deum interpellare solent; offerentes incensa multa de orationibus Sanctorum coram Deo,

rectè judicantes & sibi persuadentes, se hac ratione precandi plurimum Reipublicae Christianae prodesse posse, cum perspicuum sit, non solùm per Verbum Praedicationis & Administrationem Sacramentorum, quod plerique Religiosi ex sua Institutione faciunt: verùm etiam per continuum Orationis Meditationisque exercitium Ecclesiam adjuvari, animarumque salutem promoveri; nec utiliore operam navasse populo Israëlitico ad devincendos hostes ipsius, Josue conferentem manus, armisque exterioribus pugnantes contra Amalec, quam Moysen expansis manibus in monte orantem & decertantem precibus: qui cum levaret manus⁺ ad Dominum, orationi insistens, vincebat Israël; sin autem paululum remississet, superabat Amalec.

⁺Exod. 17.

Neque tantum hic fructus solitudinis est, ad commune Ecclesiae bonum & proximorum salutem promovendam utilissimus, nimirum studium Orationis & Meditationis: sed etiam illa occupatio vitae solitariae quæ versatur circa libros conscribendos, quibus Ecclesia illustratur, fides Catholica propugnatur, vitae mores formantur, peccatores à vitiis revocantur: alii ad virtutis imitationem & profectum spiritualis perfectionis incitantur. Nam in solitudine orationi lectio, lectioni scriptio, scriptioni oratio succedit, & ad lucubrationes ejusmodi elaborandas plus otii & temporis suppetit, dum ab externis negotiis & distractionibus vacatur.

Qua ratione vel unus Dionysius noster, hujus Domûs Ruraemundae Professor, longè plus praestitit, & multò utilior fuit, quam infiniti Priores aut Officiales: & quot quaeso Patres extiterunt Priores, de quibus nihil jam scitur, & quorum altum nunc silentium est? Dionysius⁺ verò noster in ore omnium versatur, eumque toti orbi celebrem fecit & posteritati immortalem cella sua, cellae quae occupatio & fructus, quem uberrimum & amplissimum toti Ecclesiae solitudo peperit. Includebatur ille in parva & angustâ cellâ: & ecce per totum mundum, etiam hoc tempore, post tot annos nomen

⁺Quam celebris in solitudine sit effectus Dionysius Cartusianus.

Dionysii pervagatur: & qui silentium servabat in Monasterio, ejus libri loquuntur & clamant ubique in Ecclesia. Atque sic in omnem terram exivit sonus ejus, & in fines orbis terrae verba ejus. Adhuc concionatur Dionysius, adhuc docet non in uno loco aut templo, sed in universa Ecclesia ubique per totum orbem terrarum diffusa.

Adhuc quotidie nec in singulos tantum praesentes dies, sed & futùros usque ad consummationem saeculi erit memoria Dionysii, crescetque meritum ejus, quamdiu extabunt praestantissima scripta illius, quibus plurimi ad salutem adjuvantur & promoventur. Quid dicam de P. LANSPEGIO & P. SURIO, aliisque multis, qui omnibus admirationi & venerationi fuerunt, & etiamnum apud exteras quoque nationes in precio sunt, eorumque fama nominis longè lateque propagata. Qui extra cellam extracti, & ad res externas gerendas si admoti fuissent, vel nisi rapti ex cella, & ad Officium promoti, aequè benè coluissent solitudinem, semper recurrentes & anhelantes ad cellam, sicut pisces ad aquam; nisi, inquam, ita affecti fuissent, latuissent fortè, nihilque suo ingenio atque doctrinâ pro communi Ecclesiae utilitate praestitissent, sed defossum fuisset in terra ejusmodi praeclarum talentum; immersum videlicet rebus terrenis tractandis, & cum hominibus occupatum & distractum.

Denique tam utilis & necessaria est, praesertim ad propriam salutem & profectum spiritualem singulorum haec Solitudo & rerum spiritualium exercitatio, ut neque illi intermittere eam planè debeant, qui in Ordine res externas curare coguntur, eaque administrare quae ad usus necessarios Religiosorum requiruntur, & sine quibus vita nostra subsistere non potest. Sed ut habent Statuta nostra in 2. parte cap. 6. de Procuratoribus,⁺ quos *licet exemplo Marthae, circa multa sollicitos⁺ esse & turbari necesse sit, silentium tamen & quietem cellae non penitus abjicere vel ab ea abhorreere debent: sed potius*

⁺2. parte. c. 6.

⁺*Etiam Procuratoribus, externae negotia administrantibus, nonnunquam ad cellae quietem recurrendum.*

quantum negotia Domus patiuntur, quasi ad tutissimum & quietissimum portus sinum ad cellam semper recurrere oportet, ut legendo, orando, meditando, turbulentos animi sui motus ex rerum exteriorum cura vel dispositione surgentes sedare & in arcanis sui pectoris aliquid salubre, quod fratribus sibi commissis in Capitulo Domus inferioris suaviter & sapienter eructent, possint recondere.

Deinde Trithemius Abbas hoc modo scribit & docet lib. 1. Exhortationum ad Monachos Hom. 12. *Verus (ait) Christi Monachus, etiam extra coenobium existens corpore, in claustro mentis remanet, & non minùs est solus cum multis, quam in cella consuevit esse solitarius. Amator Christi etiam in mundo multitudinis Jesum cogitat, & qui verus est operator virtutum, in omni loco cor suum in Dei⁺ timore solidum conservat.* Haec Trithemius Abbas, qui si ejusmodi in quolibet Monacho requirit, quantò magis homini Cartusiano necessaria sunt; qui ut eum Ordinem profitetur, cui solitudinis & cellae observantia propria est, & quem Ecclesia Dei aliis Religionibus anteposuit, strictioremque & perfectiorem esse judicavit; ita caeteris operum sanctitate, & praesertim vitae solitariae professione, Cellae que & Silentii observatione antecellere debet.

⁺Trithemius hom. 12. li. 1. exhortationum ad Monachos.

Nulla etenim re magis, ut in Statutis nostris dicitur,⁺ quàm solitudine, suavitates psalmodiarum, studia lectionum, fervores orationum, subtilitates meditationum, excessus contemplationum, baptismata lachrymarum adjuvantur & promoventur.

⁺2. parte cap. 13. num. 8.

⁺ Itaque moveat nos propria ratio Professionis & Vocationis nostrae, moveat dignitas hujus vitae Angelicae, moveat & multiplex utilitas. Et in his observentur ante oculos mentis exempla Majorum nostrorum, consideremus Patres ac Duces nostros, Ordinisque Fundatores ita solitudini deditos; ut mundo mortui, veluti ex terra in coelum translati, & ex hominibus in⁺ Angelos quodammodo transformati viderentur. Aspiciamus Moyses istos, Helias, Jeremias, Paulos,

⁺Conclusio 1.

2.

3.

⁺B. Hieron. Epistola 27.

Antonios, Hilariones, Arsenios, Macarios, Serapiones, Benedictos; denique Brunones, Laudinos, Guigones, Hugones, Anthelmos, Dionysios, & caeteros complures, eorumque exempla nos provocent, cellae atque solitudinis amore inflammatos. Non debemus germani filii à patribus nostris planè degenerare, aut eorum vestigiis non insistere.

Si non possumus eos in ea perfectione imitari, à qua, eheu longè absumus & distamus, saltem eos à longè sequamur: dantes operam, ut cella nobis non tēdio sit, sed gaudio & oblectationi; gustantibus quam suavis est Dominus. Et sic in cella velut in coelo non quasi in carcere videamur versari, devotioni vacantes, contemplantes Deum per beatitudinem viae, & per⁺ speculum in aenigmate: ut postea ex cella ad coelum transferamur, & consequamur beatitudinem patriae, quae in contemplatione & fruitione Sanctissimae Trinitatis⁺ consistit, videndo Deum sicuti est; non in aenigmate ut in cella, sed facie ad faciem sicut in coelo.

⁺1. Cor 13.

⁺1. Joan. 3.

Cellae siquidem & coeli habitatio (inquit D. Bernardus)⁺ cognatae sunt, & ut aliquam videntur habere cognitionem nominis, ita & pietatis, atque à cella in coelum ascenditur; ut contemplatio in cella & via, perficiatur in coelo & patria.

⁺In Epist. ad fratres de Monte Dei

Quod nobis largiatur CHRISTUS JESUS benedictus in soecula. Amen.

Haec dixi breviter de praestantia Vitae Solitariae per modum Exhortationis, summa tantum rerum capitaattingens, quae copiosius alio Opere separatim edendo, cum Dei gratia demonstrabuntur per varia exempla & testimonia tam Patrum Ordinis nostri, quam aliorum plurimorum sanctitate atque doctrina illustrium virorum.

FINIS.

Laus Deo, honor & gloria.

Appendix prima.

De crudelitate, quam milites A catholici, occupatâ A. 1572. die 23. Julii Civitate Ruraemundana, exercuerunt in quosdam Sacerdotes seculares, item in duos FF. Religiosos Franciscanos, in FF. Crucigeros, in Canonicos Regulares, & alios. Ex Havensio, & Historiâ Eccl. Gelriae.

[†]Nec minus in alios Ecclesiasticos sevitum est; Sacerdotes quippè tres & viginti in ea clade trucidatos fuisse, memoriae proditum est. Horum omnium tametsi nomina non teneam, attamen, praeter duodecim, quos recensui, Cartusianos, quosdam adscribam. Et quidem ex soecularibus Dominum Reinerum Lintrium Sacerdotem ac Praedicatorem ante Venerabile Sacramentum adacto per latera mucrone interemerunt. Dominum item Bartholomaeum Venradiensem Ruraemundę Sacellanum, Virum pium, quem plurimis primò tormentis excruciatum in platea publica demum confoderunt; alterum dein Sacellanum D. Godefridum patriâ Stralensem inverso corpore in puteo suspensum, retractumque stipiti affixerunt; aures naresque praescindere minitantes, nisi pecuniam solvat, atque ita inclementer habuerunt.

[†]*Historia Gelriae pag. 186.*

Tres insuper Canonici Regulares interempti sunt: hi quippè communi cum Episcopo adhucdum domicilio (erat quippè Regularium Monasterium) utebantur; & quidem Pater Arnoldus vergentis jam aetatis Vir, qui aegris Medicus simul & Apothecarius erat, post solutum centum dalerorum lytrum contra fidem datam gladiis confossus interiit; simili modo & Custodem necnon & Coquum ferociter mactant. Venerabilis Pater Prior aure praecisâ, variisque vulneribus affectus aegrè vitam servavit.

In Monasterio etiam Franciscanorum duos abripiunt Religiosos, Patrem Gorgonium à Meldert Praesidentem, ac Patrem Reinerum, quos post tormenta crudelissima laqueis enectos suspendunt.

Alii quoque Sacerdotes post ludibria ac vulnera soluto lytro vix mortem effugiunt; quos inter Amplissimus Dominus Theodoricus Haen Decanus Cathedralis Ecclesiae, scapulas, caputque laesus, mille daleris redemptus est. Venerandus quoque Cruciferorum Prior, catenâ ferreâ canis instar sub curru vinctus, tractusque, soluto aere, vitam aegrè servavit. Civium quoque plurimi præter milites praesidiarios, Centurioque Dominus Floyon, Consulari prosapiâ Leodii natus, crudeliter interempti sunt.

Episcopus pro grege animam ponere paratus, ut huic se discrimini subduceret, à viris primariis aliquoties monitus, suaderi vix poterat; quorum precibus demùm victus, postquam pro ovibus Deum instanter precatus esset, duobus stipatus adolescentibus civitatem pedes egreditur, atque transito in Oel Mosâ, in vicum Heel perrexit, inde in Meersen, demùm Trajectum inter discurrentes hostes incolumis advenit (miles quippè in ejus caput juraverat) atque inde Duacum pervenit.

Appendix secunda.

De Passione undecim Cartusianorum in Bohemia Anno 1419; qui (spoliatâ priùs ab haereticis & incensâ Pragensi Carthusiâ) spinis coronati, per pontem ducuntur, urbe pelluntur, ac denique necantur immaniter. Ex Historia Regni⁺ Bohemiae P. Bohuslai Balbini, S.J.

⁺*Decad. I. libro IV. pag. 118,*

ERat *Pragae* perillustre tam à sanctimonia, quam à doctrina Coenobium Cartusianorum, *Hortus Ma-*

riae appellatum; An. 1341. à *Joanne* Bohemiae Rege conditum, ac magnificè fundatum. Hoc tempore (id est, An. 1419) *Marquardus Warttembergius* Cartusiae Pragensis Prior, *Hussi* acerrimus insectator, & haereticorum *Pragae* malleus, ab iis maximè designabatur ad caedem; totque ac tam multiplices erant insidiae, ut de communi amicorum & Catholicorum consilio cedere tempori, & Pragâ Brunam velut in exilium discedere cogere: quae profectio Priorem ejusque itineris comites aliquot morti substraxit. Namque interea *Pragae* horrida ab haereticis excitata tempestas anno 1419. die 31 Julii in Carthusianos efferbuit; quam *Hagecii* Bohemiae principis historici Narratione in latinum versâ fideliter recitabo.

Mane die SS. Abdonis & Sennen 1419. novę civitatis Pragensis seditiosi incolae iterum ante Curiam convenerunt: Monasterium *Zderasense* invadunt, spoliant, incenduntque. Forte per id tempus, ante cataractas & molarum aggeres, lignorum plurimae rates appulerant, ut ad alteram Moldavae ripam tutò liceret transgredi. Ergo foex hominum furiosa transeunt,⁺ & in Coenobium *B. Virginis in Augezd*, quod Joannes Rex Coecus anno 1341. splendidissimè exaedificârat, irruunt, spoliant, & subjecto igne concremant.

⁺*Carthusiani ignominiosè in carcerem ducti.*

Monachos venerabiles senes vinctos trahunt in Veterem Urbem, capitibus eorum coronas spineas imponunt, habentque ludibrio. Postquam ad Pontem medium ventum est, quidam è Ponte dejiciendos & mergendos esse clamant: alii repugnant: rixa ac deinde pugna ipsorum haereticorum exoritur: vulnerati non pauci, duo etiam occisi sunt. Ejus totius sceleris (*in Carthusianos*) & sacrilegii admissi causa in Joannem *Bradaty* veteris Urbis Consulem conferebatur.

Quidam *Marzik* ex nova Civitate Còriarius, indutus habitum Sacerdotalem, calicem sacrum manu praeferens, tripudiansque & gesticulans, Carthusianos ante-ibat: quos in carceres antiquae Urbis in ipsa

Curia (undecim numero) detrusere, arcè foribus conclusis. Senatui antiquae Urbis Tumultus iste non placuit; ideoque citatum sacrilegum illum Marzik conjecerunt in vincula; & sero diei illius (quantum-cumque Consul Bradaty repugnaret) velut tumultûs in quieta urbe auctori, caput amputari jusserunt.

Altero die, Senatus Carthusianos invisit in carcere; reperti sunt non amplius decem, cum pridie undecim intrassent. Ergo vectibus & seris multiplicatis, arctiùs custodiri jusserunt. Tertio die reperti sunt novem; quaerunt Consules, quò duo jam Fratres devenissent? Respondent: dum unà cum iis nos omnes in faciem procumberemus, Deum pro nobis & inimicis nostris orantes, nescimus quò devenerint. Responso dato, Carthusiani reducuntur in carceres.

Paulo pòst, Senatus universus cum Consule Joanne Bradaty in carcerem venit; alloquuntur singulos, & magnâ diligentia saepius numeratos novem restare comperiunt. Tum discedunt, atque in praesentia sua oppessulari diligenter omnia jubent; nec istâ diligentia contenti, annulis & sigillis suis fores ipsas, seras, & quidquid ejusmodi fuit, obsignant. Mane altero reversi, unum iterum desiderari vident, octo tantùm relictis. Attoniti rei novitate quaerunt, ubi nonus quem heri viderant, esset? quo devenisset? Respondent Carthusiani: Charissimi sili, ut jam diximus, nobis orantibus, quò alteri & iste devenerint, prorsus ignoramus.

Senatus ergo miraculo flexus, liberos omnes esse jubet, & protinus è carcere dimitti, dato etiam comreatu, & ex satellitibus comitatu, quo in Moraviam ituros deducerent, & securitatem praestarent.

Haec *Hagecius*, & in Bohemia Pia *Bertholdus Pontanus* Metropolitanæ Pragensis Ecclesiae Praepositus; ex quibus & miraculi magnitudo & Christi pugilum fortitudo cognoscitur. Felices profecto, qui ad Christum *extra castra, improperium ejus portantes* exierunt,

& Imitatione *Christi spineam Coronam* ferentis praeluserint⁺ morti! Nam (quod ad alia properans omisit *Hagecius*, sed alii Bohemiae Scriptores, *Paulus Zidek* vicinus eorum temporum, & *Bilejovius* tradiderunt) Carthusienses Pragâ relegati, & *Sedlecium* ad Cisterciense Coenobium progressi, remisère comitatum satellitum, ibique apud amicos Patres & Fratres consedère.

⁺*Carthusiani cum Sedlecensibus interfecti.*

Non multo interjecto tempore, alia haereticorum manus (qui postea *Campestres* appellati sunt) in *Sedlecense* Coenobium incurrit. Spoliatur rebus omnibus Coenobium; Religiosi viri aguntur praecipites; alii exquisitis suppliciis necantur; natant religioso sanguine pavimenta; templa & altaria sacrilegiis contaminantur. Ibi quoque Carthusienses nostri cum Cisterciensibus ab haereticis deprehensi, Religionis odio pridem praedamnati, vitam profuderunt cum sanguine. Hactenus ex Narratione *Hagecii, Pontani, Theobaldi. &c.*

At MS. Chronicon coevi Scriptoris haec Acta Pragae,⁺ non die ultimâ Julii, sed in Augusto (die Jovis post Assumptionem Dei Matris) disertè tradit. Cui subscribunt alii quoque Codices MSS. quorum unus tradit, Carthusianos Patres priùs à furentibus in Coenobio baculis & sudibus, crudelissimè verberatos, cum ducerentur, caeruleis vibicibus lividos, luto & cruore oblitos, miserum de se spectaculum praeuisse.

⁺*Quo die vastata Carthusia.*

Unum illud de caede Carthusianorum Pragensium *Sedlecii* expedire satis tutè non possum. Reverendi Patres Carthusiani in Memoriis suis antiquis nihil tale reperiunt: sed *Pragâ* eductos *Brunam* apud Moravos (quò jam Prior Pragensis *Marquardus* ex nobilissima *Wartembergiorum* stirpe prognatus, pridem praecesserat) plerosque tenuisse significant. Quid ergo auctoritati Veterum faciemus? Dicendum necessatio erit: alios ex Pragensibus *Brunam* pervenisse, alios *Sedlecii* haesisse; aut (quod verisimile prorsus mihi visum est, idemque affirmat in chartulis suis *Georgius Crugerius* Societatis Jesu Sacerdos, peritissimus Historicus Patriae) eos

Carthusianos, qui *Sedlecii* apud Cistercienses necati scribuntur, ex *Podiebradiensi* Carthusiâ profugos, eo tempore *Sedlecium* advenisse. Favet vicinitas locorum, favet utriusque Coenobii vetus Fraternitas, favet causa communis & haereticorum internecina hostilitas, favent aliae omnes conjecturae, ac potissimum, quod eâ ratione in speciem discordantes bene conciliantur sententiae. *Hactenus P. Balbinus in praefata sua Bohemiae Historia.*

Idem rursus sic habet. Anno 1421. *Zisska* Taboritarum⁺ Ductor, cum se à Pragensibus separasset, subito *Taborium* sese retraxit, & *Piccarditis* Taborii perque viciniam diletis, celeriter reversus, non procul *Jenikowiâ* sub montibus iterum Pragensium copiis suas conjunxit. Ad castrum deinde *Lichtenburgum* progressus, arcis deditione factâ *Chrudimium* cum suis pervênit.

⁺*Decad. I. libro IV. pag. 142.*

In hoc itinere maximam vim Sacerdotum à *Zisska*⁺ trucidatos periisse, Ecclesias quamplurimas inflammari incendique jussisse tradit *Hagecius*. At *Sedlecii* Coenobii venustissimi incendium & cruentam Religiosorum omnium stragem, cujus etiam haeretici meminêre, ab eo omissam, quoties ejus Coenobii in mentem venit, admirari satis non possum.

⁺*Coedes multorum Sacerdotum.*

Sedlecense Coenobium igitur, summâ celeritate usi,⁺ ne quid praedae elaberetur è manibus, Taboritae cingunt, vias omnes occupant; tum ad praedas & coedem Monachorum vertuntur. *Quis cladem illius lucis, quis funera fando explicet?* Quingentos Religiosos Viros *Sedlecii* Deo continuis diu noctuque horis laudes dixisse, & pro sceleribus hominum Dei misericordiam implorasse constat. Quantus *Sedlecii* numerus occisorum fuerit, nullibi, ne in Historia quidem *Sedlecensi* reperio. Suspensos patibulis, aliisque mortibus sublato *Eustachius* (in Hist. *Sedlecensi*) tradit.

⁺*A. 1421. 28. Maii, Sedlecense Coenobium eum Religiosis exscinditur.*

Zidek vicinus eorum temporum, Carthusianos quoque, tam *Pragenses*, quam etiam *Podiebradienses*, *Sed-*

leciū uti ad locum securum recepisse se; eosque immaniter unā cum Cisterciensibus trucidatos scribit. An *Jacobus* Abbas evaserit mortem, tectus latebris, quae in Coenobio multae fuisse feruntur, & quas *Henrici* Abbatis exemplo paratas habebat, nondum comperi.

Necatis Religiosis omnibus, faces Ecclesiae B. Virginis & Coenobio sunt subjectae. Constans omnium traditio est, *Zisskâ* invito Ecclesiam & Coenobium arsisse, quòd magnitudini, venustati, & praestantissimis aedificationibus parcere statuisset: ideoque (ut *Eustacius* & *Theobaldus* narrant) visis flammis indoluisse, & confestim proclamari jussisse, quasi laetum incendio: *Quisquis accendisset, veniret praemium recepturus, quantum auri & argenti satis in omnem vitam esset.* Cumque sacrilegus venisset, comprehensus est illicò, eique liquatum aurum argentumque in os infusum, ut mortuus conciderit. Simul cum ejus morte severissimè vetitum, ne quis injussu Ducis flammam cuicumque aedificio supponeret. Ita nemo malus, quin bonus aliquando esse, aut saltem videri velit.

Agit de hoc Coenobii *Sedlecensis* excidio Menologium Ordinis Cisterciensis (authore Chrysost. Henriquez) ad diem 28. Maii, his ipsis verbis.... In Monasterio Zedelitzensi (*Sedlecensi*) Passio Beatorum Monachorum Cisterciensium; qui ob Fidei Catholicae professionem ab Hussitis Martyrio affecti, coronam immortalitatis promeruerunt. Quibus associati sunt Monachi Carthusiani, qui à nostris hospitio charitativè excepti, eodem die, eodem loco, & eandem ob causam Martyres evolarunt ad coelum. *De illis Joannes Cochlaeus, Aubertus Miraeus, & Paulus Languis in Chronico Citizensi, A.D. 1421.*

Appendix tertia.

Compendium Historiae (olim à P. Mauritio Chancaeo Carthus. Anglo editae, dein à P. Arnoldo Havensio recognitae) de Martyrio XVIII. Carthusianorum Conventûs Londinensis; qui sub Rege Henrico VIII. ob Ecclesia defensionem ac nefarii Schismatis detestationem, crudeliter trucidati sunt, annis 1535. & 1537.

PER annos circiter mille, à baptisate scilicet Regis⁺ *Cantii* Ethelberti per S. Augustinum D. Gregorii magni discipulum anno 596. usque ad annum 1534, non alia Fides in *Anglia* viguit quam *Catholica Romana*.⁺ Illâ autem inauspicatissima Epochâ, Rex Henricus ejus nominis octavus, indignè ferens à Clemente VII. Pontifice maximo contra ipsum latam Sententiam de divortio *Catharinae* Caroli V. Imperatoris materterae, totum se ab autoritate & obedientia *Romanae Sedis* subduxit, atque in publicis Regni Comitibus se *Anglicanae Ecclesiae summum & unicum* in terris *Caput* declaravit, perduelles pronuntians omnes qui in Romano Pontifice *Primatum Jurisdictionis & Auctoritatis* colerent.

Animadvertit citò quam - plurimis indiciis, bonorum omnium animos vehementer abhorre ab his suis inauditis facinoribus, & quo quisque erat vir melior ac religiosior, eo alieniore animo ab eisdem esse. Sciebat quoque, in Regno suo nullum Ordinem Religiosorum hominum Regularis Observantiae laude magis florere majoreve inde autoritate apud omnium existimationem valere, quam Cartusianorum. Hos ergo primùm aggrediendos statuit; ut illis debellatis, facilior esset de coeteris victoria.

Tertio igitur Kalendas Maii an. 1535. tres sanctissimi Viri gloriosum pro Christo certamen inierunt, ni-

⁺Ex Sanderò *de Schismate Angl. lib. I.*

⁺*Et ex vetust. M.S. cujusdam Monachi Cart. Londin. penes Cartus. Angl. Neoporti. Nec non ex Commentario Surii. &c.*

mirum Joannes *Houghton* Prior *Londinensis*, Robertus *Laurens* & Augustinus *Webster* Priores, alter *Beauvallensis*, *Axholmensis* alter: confidebant enim lupi, *Aulae* scilicet depravati proceres & ministri, faciliorem se habituros ad reliquum ovile ingressum, sublatis his Pastoribus. Proponebantur ergo eis jam è carcere ad Tribunal productis, nova Comitiorum sive *Parliamenti* Decreta, & jubebantur jure-jurando affirmare, *Regem Ecclesiae supremum Caput esse*.

Cum illi plurima exciperent, & Legis divinae mentionem facerent, *Nullam*, inquit *Cromwel*, qui erat Regi à Secretis, *exceptionem admittam, sive Lex divina permittat, sive non: vos integrè & plenè & categorisè haec affirmabitis*. Tum illi: at *Ecclesia Catholica* istud hactenus non docuit. *Non curo Ecclesiam:* respondit *Cromwel*; *vultis consentire an non?* Responderunt Martyres: se nec in minimo velle ab *Ecclesiae* sententia discedere; ne dum Principi placere vellent, Deum offenderent. Quo audito, mox secundùm Regni Consuetudinem, jussi fuerunt *duodecim Viri*, sub juramento praestito tractare, utrum *Patres* illi qui in Regis & *Parliamenti* Sententiâ noluerunt acquiescere mortis rei essent? Illi ventilatâ diu hac quæstione, cum nihil quicquam mortis dignum invenirent, nec tamen eos absolvere propter iram Regis auderent, tempus extrahebant; quo-usque *Cromwel* Regis nomine perditionem ipsis certissimam furibundus denunciaret, nisi statim laesè Majestatis reos condemnarent, quod die crastino fecerunt; mortis Sententiâ à *Judicibus* ut moris est latâ.

Inde in carcerem rapti, quinque ibidem manserunt diebus, usque ad quartam Maii, quando crati vimineæ impositi, & resupini toto corpore eidem alligati, per aspera, coenosa & lutulenta passim loca ad patibulum trahebantur. Ubi eò ventum est, primus solvebatur Prior *Londinensis* *Cartusiae*. Carnifex flexo poplite rogabat veniam crudelis ipsi mortis inferendae; id ille magno fecit affectu, complexus hominem, & tum pro

illo, tum pro coeteris Deum orans: tum vero bigam ascendere jussus, obtemperavit incunctanter. Ibi unus ex Consiliariis Regis, qui illic cum multis hominum millibus adstabat, rogavit: num *Regi & Parlamento* consentire vellet; impunitatem pollicens si id faceret. At ille palaim testatus est, *se solo Dei timore, non ulla in Regem suum rebellione adductum id facere neque, posse, neque velle: immo malle pati omnia, quam vel ad latum unguem à Decretis Catholicae Ecclesiae deflectere. Porro, inquit, orate pro me, & misereat vos fratrum meorum, quorum Prior immeritus fui.*

His dictis brevi spatio impetrato, legit sex primos versus Psalmi 30. Mox subactâ bigâ mansit pendulus, crasso fune de industria illigatus, ne praefocaretur. Atque subito alius quidam funem praecidit priusquam moreretur, sicquè lapsus in terram, paululum palpitans ad se rediit. Nec mora, raptus in vicinum locum, & vestibus omnibus magnâ vi nudatus, crati rursus nudus alligabatur. Primò carnifex verenda praecidit, deinde ventrem scidit, & viscera omnia in ignem projecit, ipso piissimo Patre, supra humanum modum continuò orante. Cumque, uti testes oculati & fide digni postea retulerunt, cor ejus è pectore velleretur, lictori dixit: *O Bone Jesu! quid facies cum corde meo?* atque sic spiritum exhalavit.

Idem supplicii genus reliqui duo Priores admirandâ animi constantiâ atque hilaritate perpessi sunt. Beatum hunc Proto-Martyrum Schismatis Anglicani numerum eodem ipso tempore ac loco auxit *Reginaldus* Doctor Theologus ex Ordine sanctae Birgittae, cum Joanne *Hails* Presbytero soeculari ac Pastore in Thistleworth.

Hoc quidem terrore existimavit Rex crudelissimus tum coeteros plerosque, tum maximè *Cartusianos* Londinenses, à sua constantia dimoveri posse; ad eum etiam finem occisorum membra in fervente oleo prius aliquantulum elixa, diversis Civitatis locis, unum autem *Prioris Londinensis* brachium in ipsa *Cartusiae* janua affigi jussit.

Haud diu post hoc, ad decimum scilicet nonum Julii proximè sequentis, malevolorum quorundam hominum instigatione, alii tres *Cartusiani* Sacerdotes ejusdem Coenobii, *Humfridus Middelmöre* Vicarius, *Guilielmus Exmeve* Procurator & *Sebastianus Newdigate* genere Nobilis atque in aula enutritus, cum priùs per dies quatuordecim continuos erecti stare coacti essent, injectis ad collum, ad brachia & ad crura circulis ferreis, ita columnis affixi ut ob nullam causam, ne quidem pro quacunque corporis necessitate loco umquam dimoverentur, illustre Fidei testimonium dederunt; idem namque supplicium quod superiores Patres, & eadem animi magnitudine passi sunt.

Ab hoc tempore duo penè effluerunt anni, quibus nulli hujus *Ordinis* amplius apprehensi aut incarcerati fuerunt. Veruntamen non sine gravissimis eorum, præcipuè *Londinensium*, tribulationibus spatium illud pertransiisse perspicuum est. Soeculares namque Domûs istius *Rectores* à Rege constituti, inhumanè admodum Conventum tractaverunt, modo cibaria consueta ei auferentes, nilque aliud præbentes quam parum casei aut quid simile: modo Religiosis illudentes, quandoque etiam quosdam eorum è Monasterio aut ad Cathedralē Ecclesiam, aut ad alia Coenobia rapientes, ubi publicè contra illos sive ab Episcopis sive ab aliis quibusque Praedicatoribus disputabatur. Nec defuerunt quorundam insuper parentes & amici, qui planctibus quotidianis ac blanditiis eos seducere tentaverunt.

Sed anno 1537. cum ne hâc quidem ratione *Henricus* voti sui compos fieret, decem alios in teterrimum carcerem conficiendos curavit, tantaquè saevitiâ inter ipsos latrones tractari jussit, ut non multum post universi, unico superstite, factore & fame extincti fuerint; ii autem hoc Ordine obierunt.

1. *Guilielmus Greenwode* Conversus 6. Junii.
2. ⁺ *Joannes Darii* Diaconus 8. Junii.
3. *Robertus Salte* Conversus 9. Junii.

⁺*Ex Veter. MSS.*

4. *Walterus Pierson* Conversus 10. Junii.
5. *Tho. Greene* Sacerdos 10. Junii.
6. *Tho. Scriven* Conversus 15. Junii.
7. *Tho Redyng* Conversus 16. Junii.
8. *Richardus Beer* Sacerdos 9. August.
9. *Tho. Johnson* Sacerdos 20. Septemb.
10. *Guilielmus Horne* Conversus: is postquam annos quatuor reliquis in ergastulo incolumis supervixisset, tandem Regis jussu ad furcam pertractus, 4 Novembris anno 1541. suspendio ac exenteratione certamen absolvit.

Interim dum haec Londini agerentur 15. Maii ejusdem anni, *Joannes Rochester & Jacobus Walwerke* & ipsi *Carthusiae Londinensis* Monachi professi, simplici suspendio extra portam civitatis *Eboracensis* ad coelum commigrarunt, cadaveribus in patibulo relictis, donec ossa omnia deciderent. Reliqui Domûs istius Religiosi versutissimorum hominum fraudulentis argutiis decepti, falsaque lactati spe manendi in quieta ac segura possessione Monasterii, in verba Regis tandem infeliciter juravêre.

Verum horum pusillanimis ne dicam scandalosus consensus hoc praemii merito adeptus est, quod infra annum post, scilicet 15. Nov. An. 1538. omnes numero quidem 12. Monachi professi, tres hospites, & sex Conversi inde expulsi fuerint. Circa idem tempus per publicum etiam *Parliamenti* Actum omnia alia Monasteria voluntati Regiae permittebantur, & Religiosis utriusque sexûs ex illis ejectis, bona universa in Fiscum redacta sunt. Neque contentus Rex hoc uno impietatis & rapinae genere, excogitavit & aliud longè nequius, quo non solum Monachorum bona atque possessiones, verum etiam animas secum raperet in perditione.

Perinde enim ac si ista omnia non ab aliqua sua cupiditate sed ab ipsorum Religiosorum petitione profecta fuissent, impium quoddam Instrumentum con-

scribi jussit Monachorum nomine: quo* *Regis Majestatem suppliciter rogabant ut eos ab impia Monachismi servitute liberare dignaretur, permetteretque liberè Monasteriis exire &c.... Quam gratiam si obtinerent.... se sponte Monasteriis omnibus bonisque cessuros, eaque omnia & singula in manus suae Majestatis resignaturos.*

*Vide integram hujus Instrumenti formam apud Sanderum de Schis. Angl. Edit. Edu. Risthoni an. 1587. pag. 143.

Execrandum hoc Scriptum transmisit Henricus ad omnia Monasteria per certos vaferrimos irreligiososque homunciones, qui Religiosis persuaderent ut hoc idem tam Superiorum quam singulorum Monachorum manu⁺ propriâ subscriptum, & publico Monasterii Sigillo confirmatum, Majestati Regiae communi Religiosorum omnium nomine exhiberent. Quod ut faciliùs obtineretur, apud singulos mentiebantur Conventus, *id ab aliis jam esse factum, imo primam hujus rei cogitationem ac mentionem à Monachis optimis ac religiogissimis ortam esse. Quamquam sua Majestas potuisset quidem pro sua in omnes Religiosos suprema Authoritate & ex ultimorum Comitiorum Decreto, Monastica omnia pro suo arbitrio disponere, nolle tamen pro sua bonitate quicquam, nisi Monachorum rogatû facere; ut omnes intelligant, se divinum cultum ac Religiosorum utilitatem, non suum commodum prae oculis habere.*

⁺Et Edit. Pet. Henningi pag. 173.

Hac Oratione si quis moveri videretur, illum laudabant praesentibus aliis, ut bonum, pacificum, & suo Principi benevolum; promittebant etiam eo nomine commendatissimum eum facere suae Majestati. Denique honestâ pensione donatum dimittebant. Si qui vero negare aut scrupulum facere inciperent, eos proterviae, naturae seditiosae, atque maligni in Regem animi insimulabant, & aliquâ statim quaesitâ calumniâ, aut in carceres trudebant, aut omnibus necessariis orbatos, postquam vi & armis Redditionis impium *Instrumentum* signare compulissent, nudos per saeculum vagare coegerunt.

In sacrilega hac & generali avitae pietatis Monumentorum eversione, octo alia Cartusiensis Ordinis

Coenobia eidem fatali calamitati succubuerunt.

* I. *Edmundus Horde*, Prior *Loci-Dei* in Henton, & 21. Religiosi: quorum haec sunt nomina.

1. Thomas Fletcher.
2. Guiliel. Burford.
3. Hugo Laycock.
4. Rob. Frye.
5. Joan. Bachroft.
6. Rob. Russell.
7. Rob. Lichtfoot.
8. Rob. Noling.
9. Henr. Gurney.
10. Nic. Balland.
11. Tho. Hellyer.
12. Guil. Reynold.
13. Rob. Savage.
14. Guil. Robinson.
15. Joan. Chamberlain.
16. Guil. Coke.
17. Jacobus Marble.
18. Joan. Legge.
19. Hen. Bourman.
20. Joan. Colart.
21. Robertus Stamardon.

**Ex Convent.*
Litterarumpubl. Ryemeri
Tom. 14. p. 614.

Hi Domum suam in manus *Joannis Tregonell* virtute Commissionis à Rege ei inde directae, cedere, & supradicto Instrumento subscribere coacti sunt, ultimo die Martii an. 1538.

II. *Michael*... cui titulus Prioris Domûs Visitationis⁺ *Beatae Mariae de Eppeworth* in Insula Axholme à Rege dabatur, post Martyrium Augustini *Webster* ultimi legitimi istius Cartusiae praefecti, cum Conventu eandem perinde coram Thoma Leigh tristem sortem subivit 18. Junii An. 1538. Ad soeculum autem sic revertentibus, loco religiosi habitûs, toga dabatur Sacerdotalis nigra, cum Anglicanae monetae solidis perpaucis. ^{+Ibid. p. 606.}

III. *Joannes Bocharde* Prior Stae. Annae prope Coventriam;⁺ & hi novem Religiosi.

1. Joan. Todde. ^{+Ibid. p. 628.}
2. Rob. Bold.
3. Guil. Abel.
4. Tho. Corbyn.
5. Rich. Appulby.
6. Rich. Croftes.
7. Thomas Letherbaron.
8. Joan. Todde, junior.
9. Rich. Slater.

Idem per omnia fecisse perhibentur, coram Joanne London. 16. Jan. an. 1538.

IV. Joannes *Michel* Prior Cartusiae de *VWitham* cum suo Conventu eâdem fatali necessitate compulsus,⁺

⁺*Ibid.* p. 633.

Domum suam cum omnibus bonis redditibusque ejusdem Guilielmo Peter Regis Commissario, publico Actu in Capitulo facto, cessisse dicitur 16. Martii an. 1538.

+ V. Henricus *Man* Sacrae Theologiae Doctor & Domûs de Shene Prior indignus, anno 1538. in partes Regis libenter ivit. An cum Conventûs sui assensu incertum; hoc saltem perspicuum est, eum tantam hoc facto apud Henricum iniisse gratiam, ut postea Decanus Cicestriensis, dein *Monae Pseudo-Episcopus* factus sit. Obiit Londini an. 1559.

⁺*Hist. Eccl. Angl. per Dodwell. Tom. II.*

+ VI. *Thomas Woodecocke*, Cartusiae de Beauval Prior, cum his sex Monachis.

1. Alexander Louthe.
2. Tho. Walles.
3. Nicolaus Dugmer.
4. Tho. Leyton.
5. Radulphus Burde.
6. Rich. Wakefeld.

⁺*Ibid. p. 660.*

Hi se, suaque omnia Joanni London. ex parte Regis ad eos misso relinquere coacti fuerunt 18. Julii 1539.

+ VII. Radulphus *Malevery* Prior Sti. Michaelis apud *Kingston* super Hull, cum omnibus Religiosis suis idem facere compellebatur 9. Novemb. Anno 1539. coram Thoma Leigh uno ex Cancellariae Clericis.

⁺*Ibid. p. 663.*

+ VIII. Joannes *Wilson* Prior Monasterii Beatae Mariae de *Monte-gratiae*, aliorum exemplum licet admodum invitus, nimio tamen timore percussus, tandem secutus est, Regiumque Instrumentum recognovisse dicitur 18. Decembris anno 1539. Cujus facti verè poenitens, statim ad Cartusiam Vallis Gratiae prope Brugas in Flandria se contulit.

⁺*Ibid. p. 665.*

Cum *Henricus* omnia hoc modo invasisset, dejecisset atque demolitus fuisset, possessiones annuosque Coenobiorum redditus, ne unquam postea repeti aut à quoquam suorum Successorum Principum Ecclesiae restitui possent, universae fere Nobilitati distribuit; nonnullos aliis censibus ac redditibus, nonnullos pecuniâ numeratâ commutans. Catholicos etiam invitos co gebat, ut spolia haec Ecclesiastica emerent, quo vel sic eos ad sceleris sui defensionem obligaret.

Appendix quarta.

Breve SIXTI V. Pont. Max. ad Henricum Cajetanum Regni Angliae & Carthusiani Ordinis Protectorem, & Guilielmum Alanum (gente Anglum) S.R.E. Presbyteros Cardinales, 30. Novembris 1587. quibus Pontifex committit curam Carthusianorum Anglorum, è Patria per tyrannidem Elisabethae Reginae ejectorum, atque in Belgio Catholico, sub Protectione Philippi II. Hisp. Regis exulantium.

SIXTUS, Episcopus, Servus Servorum Dei &c. Dilecti filii nostri, salutem & Apostolicam benedictionem.

NON sine magna animi nostri consolatione intelleximus celebrem Conventum adhuc extare in Belgio Anglorum Monachorum Ordinis Cartusiani, semen videlicet ac sobolem pientissimi Conventûs illius, qui fere totus pro Fidei Catholicae confessione ac Sedis Apostolicae communionem, sub impio Henrico octavo *Angliae* Rege gloriosam sustinuit mortem, eundemque Conventum post plurimas aerumnas miseriasque perpessus in continuo triginta pene annorum exilio, nuper ex Monasterio Lovaniensi ejusdem Ordinis ubi erat hactenus congregatus, in alia varia Monasteria tandem dispersum & divisum esse, ob summam in hâc soevissimâ hereticorum Anglorum rabie paupertatem, rerumque ad vitam tuendam necessariarum extremam inopiam. Nunc vero Deum Opt. Max. divinâ suâ bonitate ac providentiâ permovisse cor charissimi filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, ut tantum subsidii in singulos menses huic Conventui Cartusianorum Anglicano assignaret, quantum eidem bona ex parte (nisi plures quod optamus in eo Conventu recipiantur) sufficiat.

Nos itaque, quibus ex Pastoralis Officii nostro incumbit omnium Christi fidelium pro viribus curam gerere, & maximè istorum qui tantorum patrum filii sunt ac heredes, ipsique etiam similiter tanta pro Christo Domino nostro & Fidei Catholicae constanti confessione sustinuerunt; achumiliter nobis supplicatum fuerit Catholicorum omnium gentis Anglicanae nomine,⁺ quae nullum praeter hunc habet in toto orbe Christiano Virorum Regularis Instituti Conventum, ut hic jam dispersus, iterum ad cohabitandum in unam Domum recolligatur: Mandamus per praesentes in virtute sanctae Obedientiae dilecto filio Hieronimo Lignano Priori totius sacri Ordinis Cartusiani, caeterisque Ordinis Visitoribus & Prioribus, qui pium hoc opus promovere possunt, ut quamprimum dispersos hos Carthusianos Anglos in unam commodam aliquam habitationem, vel sui Ordinis, vel alterius cujuscumque, vel etiam soecularem, quae tamen Vobis vel dicti Conventûs Priori pro tempore existenti idonea videbitur, redûci, ibique stabiliri, confoveri & conservari (durante saltem hoc miserabili Angliae Schismate) faciant.

*+Primus Conventus
Monachorum Anglorum
exultantium.*

Vobis autem & utrique vestrûm mandamus & committimus per praesentes, ut Autoritate nostra Apostolicâ nostroque nomine cum eodem dilecto filio Priore Generali praedicti Ordinis, ac aliis quibuscunque Christi fidelibus, qui vobis aut alterutri vestrûm videbuntur huic Conventui prodesse posse, & aliquid adjumenti afferre ad hanc nostram voluntatem, implendam sollicitè agatis & procuretis, ut quod in hac re toto corde cupimus cito & efficaciter mandetur executioni. Dictique Conventûs Anglici Priorem & Monachos Cartusianos pro tempore existentes in omnibus semper juvetis, defendatis, ac promoveatis, & omnem denique operam & diligentiam impendatis, ut Angliae hodie (proh dolor!) afflictissimae optimum hoc hujus Ordinis semen in meliora tempora conservetur.

Et cum Nos multis & magnis sumptibus in primis

istis nostri Pontificatûs annis gravati circa publica quae Nobis ac Sedi Apostolicae quotidie incumbunt onera, non possumus privatis singulorum necessitatibus prout desideramus nostro aere succurrere; procuretis quoque & faciatis, ut si opus erit honestâ contributione subsidii charitativi alia ejusdem Ordinis Monasteria ditiora hunc Conventum omni favore & charitate dignum, & tamquam sui Ordinis excellens quoddam Ornamentum & decus, juvent promptè & foveant.

Nos enim Vobis & utrique vestrûm ad omnia haec & singula procuranda exequenda & adimplenda Autoritate nostra Apostolicâ plenam liberam & amplam facultatem & potestatem damus & committimus, & per praesentes impertimur: non obstantibus Institutionibus & Ordinationibus Apostolicis, Privilegiis quoque & Indultis ac Statutis, etiam Ordinis praedicti juramento & Confirmatione Apostolicâ renovatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die trigesimo Novembris Millesimo quingentesim ooctogesimo septimo, Pontificatûs nostri A. tertio

Signatum: THOM. GUALTERUTIUS.

Vigore hujus summi Pontificis Mandati, & supradictorum Cardinalium *Henr. Cajetani & Guil. Alani* Praescripti, nec non & Rev. Patris Generalis Ordinis consensu, omnes Patres Angli alibi dispersi Lovanium reverti atque Confratribus suis illic restantibus se jungere cogebantur. Inde vero post tantillam moram Antverpiae, venerunt anno 1591. Mechliniam, agente præsertim Cardinale *Alano* tunc Mechliniensium Archiepiscopo designato.

Ibi Cartusiani isti, cum Priore *Waltero Pytssaeo*, sedem fixerunt in plateâ vulgo de *Bleeck-straete*, usque ad ann. 1626. quo stabile domicilium obtinuerunt in opido Neoportuensi apud Flandros, ibique in hodiernum diem benedicente Domino, floret hic Carthusianorum Anglorum Conventus.